Diss. Paris 1890

27

MAMERTI CLAUDIANI

VITA EJUSQUE

DOCTRINA DE ANIMA HOMINIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

R. DE LA BROISE

IN FACULTATE LIBERA LITTERARUM ANDEGAVENSI
OLIM ALUMNUS

« *Pauca hæc, veluti quædam rationum semina...* »
(MAMERTUS CLAUDIANUS, in Præfatione.)

PARISIIS
APUD RETAUX-BRAY, EDITOREM
82, VIA BONAPARTE, 82

1890

MAMERTI CLAUDIANI

VITA EJUSQUE

DOCTRINA DE ANIMA HOMINIS

ÉMILE COLIN — IMPRIMERIE DE LAGNY

MAMERTI CLAUDIANI

VITA EJUSQUE

DOCTRINA DE ANIMA HOMINIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

R. DE LA BROISE

IN FACULTATE LIBERA LITTERARUM ANDEGAVENSI
OLIM ALUMNUS

CAD.
D.BAT.
IBL.

« *Pauca hæc, veluti quædam rationum semina...* »
(MAMERTUS CLAUDIANUS, in Præfatione.)

PARISIIS
APUD RETAUX-BRAY, EDITOREM
82, VIA BONAPARTE, 82

1890

D. D. EUGENIO MARICOURT

ANTISTITI URBANO

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41547921_0002

PROŒMIUM

Quinam scriptores in philosophia Mamerti Claudiani aperienda versati sint, quid novi ipse me allaturum esse sperare ausus sim, paucis declarandum est.

Viennensis sacerdotis doctrinam, neque apud eos qui libros *de Statu Animæ* in lucem ediderunt, neque apud eos qui litterarum et philosophiæ historiam scripserunt, plene et complete expositam invenire est. Nempe, qui primus opus Claudiani typis mandavit, Petrus Mosellanus, totus in eo fuit ut « vetustum exemplar librarii imperitia fœdissime depravatum (1) », utcumque emendaret; nec minorem operam impendit P. Andreas Schottus, e societate Jesu, ut emendaret Mosellanum ipsum, duobus antiquis codicibus inventis.

(1) Petrus Mosellanus, in sua *Epistola* ad Martinum de Lochau, abbatem Veteris Cellæ.

Post eos Gaspar Barthius, absque ullo libro manuscripto, solo fretus acumine ingenii, edidit Claudianum : commentarium subjunxit vir non inficetus quo scriptoris sui disciplinam exponere aliquantulum studet, ac magis etiam de verbis, lingua et stylo ejus disserere, maxime vero suam ipsius Barthii scientiam et eruditionem declarare, animi solertiam ostentare, inexhaustos doctrinæ thesauros in medium proferre, quos ex assidua veterum lectione collegisset.

In variis *Bibliothecis Patrum*, quæ tribus hisce seculis editæ sunt, textum modo Petri Mosellani, modo Andreæ Schotti reperias. Obiter porro, inter harum Bibliothecarum auctores, laudandus est Gallandius, qui, quanquam manuscriptis codicibus non usus est, tamen, collatis editionibus, Claudiani libros emendatiores fecit; et Joannes-Petrus Migne qui Gallandii recensionem eximiæ suæ *Patrologiæ* inseruit. Hi vero omnes nullas de doctrina animadversiones operi addiderunt.

Peropportune demum, dum huic thesi studebam, Claudianum denuo excussit et ad optimam lectionem redegit, ope quatuordecim codicum, Vindobonensis doctor Augustus Engelbrecht (1); adjecit et *Disquisi-*

(1) Cf. ad calcem Appendicem II, *de libris Claudiani manuscriptis et editis*. — Auctorem laudavi ex hac recenti editione D. Augusti Engelbrecht. Attamen, cum hæc recensio haud facile reperiatur, omnesque ad manum habeant Patrologiam J.-P. Migne, indicavi quibus locis hujus Patrologiæ inveniantur sententiæ a me relatæ. Ex eodem Migne desumpsi eam, qua D. Engelbrecht non utitur, divisionem longiorum capitum in certas quasdam partes numeris distinctas.

Ut exemplum afferam, nota hujuscemodi : Lib. I, cap. XXI, § 4, 74,

tiones de lingua Claudiani Mamerti (1). At in utroque opere de verbis, non de philosophia, homo doctus et de Claudiano bene meritus intendit disserere.

Ex altera parte, in libris in quibus recensentur vel ecclesiastici scriptores, vel homines in philosophia et litteris egregii, laudes Claudiani legere est, et simul aliquam disciplinæ ejus summam : sed ita brevem et exiguam, ut scriptam facile intelligas ab iis qui libros *de Statu Animæ* non tam hauserint, quam summis labris attigerint. Nec re vera quis possit philosophiæ ejus intima quæque et recondita levi studio penetrare, genuinam ejus sententiam, altam sæpe, sæpe exquisitam, brevi sermone exponere. Mirum est enim quot quæstiones Mamertus in brevi illo opere moverit, quot variorum philosophorum placita vel retulerit, vel paucis quibusdam verbis innuerit. Immo, senten-

19; 724 C, — sic legenda est : Libro I *de Statu animæ*, capite XXI, § 4 (secundum partitionem quæ apud Migne invenitur), in editione D. Engelbrecht, pagina 74, linea 19 et sequentibus; apud Migne, tomo LIII Patrologiæ latinæ, columna 724, littera C.

Ubi vero capita eodem numero non signantur apud Migne et apud D. Engelbrecht, sic scripsi : Lib. III, cap. XV, 184, 6; cap. XIII, 775 A. — Lege : Libro III, in edit. D. Engelbrecht, cap. XV, p. 184, lin. 6; in edit. Migne, cap. XIII, col. 775, lit. A.

Cetera variorum scriptorum opera quanam ex editione laudem videre est ad calcem theseos, Append. III : *Index librorum in thesi laudatorum, et aliorum qui de Claudiano consuli possunt.*

Ad rationem scribendi quod attinet, eam ubique usurpavi, qua usi sunt DD. M. Bréal et A. Bailly in opere : *Les mots latins, cours supérieur. Dictionnaire étymologique latin,* — 1885. — Quem modum scribendi retinui etiam in locis e Claudiano desumptis, quamvis aliter scribat D. Engelbrecht. — Præterea, perspicuitatis gratia, D. Engelbrecht non sum secutus in ratione interpungendi sententias.

(1) *Untersuchungen über die Sprache des Claudianus Mamertus,* von Dr August Engelbrecht. — Wien, 1885.

tia Mamerti de anima hominis, ut in lucem prodeat, illustrari debet scriptis non modo veterum quos ipse noverat et perlegerat, sed etiam illorum qui post ipsum vixerunt : quorumdam enim recentiorum doctrinas apud eum leviter jam adumbratas, ac velut præsensas reperias.

Libellus igitur scribendus erat, in quo omnia quæ apud Claudianum latitant in medium proferrentur et ad trutinam revocarentur. Labori primus se accinxit vir eruditus, qui tribus abhinc annis omnibus historiæ et litterarum studiosis flebilis occubuit, Alexander-Carolus Germain. Hic anno MDCCCXL ad doctoris gradum promovendus Facultati Litterarum Parisiensi « *de Mamerti Claudiani scriptis et philosophia dissertationem* » proposuit : opus laude dignum, si aliquam librorum *de Statu Animæ* summam lucidam et brevem, sat completam tamen, cupias perlegere : imperfectum autem, si ea quæ Claudianus in mente habuit accuratius quæras noscere, perpendere et cum aliorum placitis conferre; et præterea velis discere quale fuerit illo tempore in Gallia philosophiæ studium, quinam Claudiani locus inter æquales philosophos.

Idem fere dicendum est de thesi qua D. Martinus Schulze, in Academia Lipsiensi, doctoris in philosophia lauream promeritus est (1). Quanquam enim ea

(1) *Die Schrift des Claudianus Mamertus Presbyters zu Vienne über das Wesen der Seele,* 1883.— D. Martinus Schulze silet omnino de thesi D. Germain.

attigit quæ apud D. Germain deerant (1), minime tamen ea penitus exploravit et pertractavit; neque ipse aliud fecit in præcipua operis parte, nisi tres libros *de Statu Animæ* et singula eorum capita ex ordine in compendium redegit (2). De vita Claudiani vulgatos quosdam errores incautus admisit (3).

Quapropter operæ pretium visum est novum opus aggredi. Primum de vita sacerdotis Viennensis disserere non inutile judicavi. Non pauca enim, quæ in ea obscura manebant, vel quæ, ut modo innuebam, non recte hucusque relata sunt, spero fore ut melius et clarius exponam. Hæc autem expositio aliquid, ut puto, conferet ad historiam litterarum et philosophiæ in Gallia, ultimis annis romani imperii.

Quod attinet ad opera Claudiani, ut patet ex titulo quem thesi præposui, materiam mihi sumpsi minus amplam, quam olim D. Germain. Jam enim non de « *scriptis Mamerti Claudiani* » omnibus sermo est : non enim fert animus discutere quænam inter poemata ipsi adscripta genuina sint, quænam mendose in ejus opera irrepserint (4), vel anquirere utrum in veteribus libris liturgicis Viennensis Ecclesiæ aliquot

(1) Cf. hæc capita : § 6. *Darstellung von Faustus' und Claudians Lehre*, pp. 56-72 ; — § 7. *Beurteilung der Lehre Claudians*, pp. 72-76 ; — § 8. *Benutzung der alten und patristischen Philosophie durch Claudian*, pp. 76 *ad finem* (p. 85).

(2) Cf. § 2. *Anlass der Schrift* : de Statu Animæ. *Inhalt der Schrift des Faustus*, pp. 4-11 ; — et § 5. *Auszug aus der Schrift* [*Claudians*], pp. 15-56.

(3) Cf. § 1. *Lebensverhältnisse und Schriften Claudians*, pp. 1-4.

(4) De his pauca tantummodo dicentur in *Appendice I*.

officia ab eo disposita inveniri possint : ea tantummodo tractanda suscepi quæ de anima hominis Claudianus scripsit in tribus suis libellis.

Ipsius porro doctrina altius quam antea et intimius exponetur. Non enim jam texemus compendium aliquod librorum *de Statu Animæ*, eodem ordine servato quo usus est auctor, et iisdem plerumque verbis : sed latius et liberius spatiati, placita ejus ad pauca quædam capita referemus, ad ea scilicet quæ ut ceterorum fundamenta, ut multarum rationum semina, Claudianus habuit. Ipse enim, in sua Præfatione ad sanctum Apollinarem Sidonium sic habet : « Scripsi... pauca hæc, veluti quædam rationum semina; quæ studiosus quisque, si non otiose capessat, ut ego arbitror, multa exinde derivare poterit, quæ, etsi angustis emanantia venulis, in magnos tamen amnes longiore procursu exuberabunt (1). » Futurusne sim vir ille studiosus quem sibi Claudianus exoptabat? Hanc tantam laudem nec mihi polliceor, nec re vera ambio. Velim tamen hosce doctrinæ rivulos, placita dico scriptoris, adire et eorum cursum speculari : scrutari scilicet quo fonte et quibus e montibus cadant; qualibus undis, altis sæpe, sæpe tenuibus, quandoque auro turbidis, decurrant; per quos Galliarum campos effluant, pingues nuper et uberes, nunc barbara lue vastatos; in quæ demum flumina ad nostram usque ætatem labentia refundantur. Quod opus utinam aliquid con-

(1) Præf., 18, 12 ; 697 C.

ferat tum ad historiam philosophicæ disciplinæ apud Gallos, tum ad eam ipsam præstantissimam philosophiæ partem, qua de hominis anima (1) disputatur.

(1) De *anima* hominis. Elegantiore quidem sermone diceretur « de *animo* ». At, quia sæpe laudaturus sum Claudianum, qui ipse *animam* dicit, satius esse visum est eodem verbo uti, quo scriptor ipse, ne sit per totam thesim duplex ejusdem rei vocabulum. Eadem excusatio valeat de verbis quibus utitur Mamertus ad suam philosophicam doctrinam exponendam : *incorporaliter*, *illocaliter*, *temporaliter*, et de sexcentis aliis quæ non adhibere difficillimum est, dum auctoris sententiam expono qui ea tertia quaque sententia usurpat.

DISSERTATIO PRÆVIA

QUOMODO SE HABUERINT QUÆSTIONES DE ANIMA INTER DOCTORES CHRISTIANOS, NOMINATIM IN GALLIA, USQUE AD SECULUM QUINTUM.

Christianam religionem, ubi primum disseminata est, maxima incrementa addidisse scientiæ de anima hominis, perspicuum est. Nec minus evidenter apparet quibus de causis nova religio tantum contulerit ad hujus disciplinæ augmentum. Etenim Libri sacri clare atque aperte ea declarant quæ de anima cognoscere plurimum omnium hominum interest. Insuper cum vellent modo ea quæ in illis Libris breviter dicuntur amplioribus argumentis evolvere, modo ea quæ Scriptura innuit altius scrutari, modo ea quæ fides tacet, quæ tamen cum fide nexu aliquo conjunguntur, in lucem proferre, veræ religionis magistri vel defensores

ad omnes quæstiones de anima hominis perpendendas et excutiendas vi ipsa rerum compulsi sunt.

Libri autem sacri conscripti sunt non ad satiandam cupidinem sciendi inquietam nobisque innatam, verum ut ea nos doceant quæ conferunt ad mores recte instituendos. Quapropter animam esse immortalem, et, prout bene vel male egerit, præmiis vel pœnis destinatam, jam in Testamento Veteri satis perspicue innuunt (1), in Novo luce clarius affirmant. Haud semel enim Christus in Evangelio prædicat fore ut in « vitam æternam » eant justi, mali autem « in supplicium æternum (2) », « in ignem æternum (3) », quibus verbis quid lucidius, quid evidentius possit desiderari ?

Præter animæ immortalitatem, sacrorum Bibliorum auctores naturam quoque ejus aperte satis significarunt. Cum enim, in ipso Geneseos exordio, Moyses narrat « formasse Dominum Deum hominem de limo terræ, et inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ, quo factus est homo in animam viventem (4) », quid docet aliud, nisi nos e duplici constare substantia, terrestri una, materia scilicet, simplici altera, sive spiritu, quæ pars præstantior sit, et Deo similior ?

Locos quibus eadem doctrina traditur, tum in Veteri, tum multo magis in Novo Testamento, longius esset singulos exponere : hi quidem ita multi sunt, ut vix

(1) I Reg. XXVIII ; — Job, XIX, 23-27 ; — Eccle. XII, 14 ; — Is. XIV, 9 *et seq.*; — Ezech. XXXII, 18 *et seq.*, *et alibi passim*.
(2) Matt. XXV, 46.
(3) Ibid., V, 41.
(4) Gen. II, 7. — Cf. I, 27.

intelligatur quomodo aliqui e scriptoribus ecclesiasticis in dubium incidere potuerint de animæ natura.

Scriptura vero quæ animam esse similem Deo et immortalem tam aperte docet, quæstiones alias, utpote quæ minus habeant utilitatis, plus autem curiositatis, magis in obscuro reliquit. Quomodo uniuscujusque hominis anima esse incipiat, non clare ibi expositum invenias. Multo vero minus e Scriptura discere est qua ratione corpus et anima in unum coalescant, quæ sint animæ potentiæ et vires, quo pacto et ordine hæ vires exerceantur, quæ res sint ab intellectu cognitæ, et qua ratione cognitæ, quod sit voluntatis munus.

Hæ tamen quæstiones subtiles magis et reconditæ multis modis ad christianam doctrinam attinent. Quis enim fidei dogmata perspecta queat habere et plenam tradere de religione doctrinam nisi penitus notam habeat naturam hominis? Hinc ad christianos summopere pertinent omnes quæ proponi possunt de anima disquisitiones. Quæ quidem utiles sunt vel ad prima Geneseos capita exponenda, in quibus Adami et Hevæ creatio narratur; longam igitur de homine et ejus anima orationem legere est apud Patres omnes qui de operibus Dei scripserunt libros *in Hexaemeron*. Iterum vero nisi quis hanc hominis naturam intime scrutatus sit, quomodo recte poterit loqui de illo, quem fides nobis proponit, Deo incarnato, quomodo declarare quæ fuerit Dei cum corpore et cum anima conjunctio, qui intellectus, quæ voluntas, in illo quod nuncuparunt theologi « composito theandrico »?

Quid vero? Peccatum a primo homine admissum,

in posteros derivatum, recte quis explicet, nisi sciat quæ sit animæ origo, quomodo in corpus infundatur? Quæ sit peccati in animo labes, quibus e contrario auxiliis Deus hominis vires augeat, quis valeat evolvere, nisi omnia quæ ad mentem et mentis virtutem et facta pertinent sit alte perscrutatus? Addas christianos scriptores ideo quoque exquisivisse quid sit spiritus et qualis sit rerum incorporearum natura, quod sæpissime de Angelis in sacro eloquio sermo sit.

Antequam igitur Claudianus contra Faustum Reiensem in aciem prodiret, pluries jam de his omnibus quæstionibus inter christianos disputatum erat, alio atque alio sensu ac methodo. A primo ad quintum seculum multum jam profecerat scientia de anima hominis : in quibusdam tamen ulterius etiam progredi poterat. Capita tantum et summa rerum vestigia sequamur, et eo tantum animo præterita in memoriam revocemus, ut appareat quid novum fuerit in præsenti Claudiani cum Fausto discrimine.

Plerique inter veteres scriptores christianos tum Græcos, tum Romanos, ut Clemens Alexandrinus, S. Gregorius Neocæsareensis, Eusebius Cæsareensis, Lactantius, S. Gregorius Nyssenus, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, Nemesius Emesenus et alii, animam incorpoream esse docuerunt. Vulgo tamen accusant nonnullos Patres, quod, variis de causis, seu ut hæresim aliquam profligarent, seu quodam mentis errore, in falsam de animæ natura opinionem deflexerint. Ut nomina tantummodo maxime nota referamus, et quæ nosse maxime ad rem nostram attinet, inter

Fausti Reiensis antecessores, S. Irenæum Lugdunensem martyrem, S. Justinum, ejusque discipulum Tatianum, Tertullianum, et ipsum Origenem, multi adnumerarunt.

Non pauci quidem hos scriptores ab errore vindicant, utpote qui *corporis* nomine non *materiam* intellexerint, sed id quod postea dixerunt *substantiam* sive materialem, sive spiritualem : nondum enim philosophia lingua velut adulta utebatur. Hanc viam ad eos excusandos ipse S. Augustinus aperuit, qua multi, ut arbitror, immunes evadere possunt. Difficile tamen videtur non fateri Tertullianum, saltem postquam ad Montani hæresim deflexit, in errorem de anima incidisse (1). Præterea hic ipse loquendi modus quo corpus et substantia eodem nomine signabantur, aliquid obscuri in ipsa doctrina pariebat (2).

Ceterum hæc sententia, qua anima a materia diversa esse perhibetur, semper apud christianos præcipuo fuit in honore ; immo ita communis fuit, ut Tertullianus ipse fateatur, etiam postquam librum *de Anima* ediderit, plerosque in diversa a sua opinione perstitisse : Animam incorporalem esse, ait, « vulgus existimat (3). »

(1) Cf. thesim D. Bouëdron, Rhedonibus, 1862 : *Quid senserit de natura animæ Tertullianus*.

(2) « Si autem corpus esse dicunt alia qualibet notione omne quod est, id est, omnem naturam atque substantiam : non quidem admittenda est ista locutio, ne non inveniamus quo modo loquentes, ea, quæ corpora non sunt, a corporibus distinguamus : non tamen nimis est de nomine laborandum. » S. Aug. *de Genes. ad lit.*, lib. VII, cap. XXI, § 30, apud Migne, t. XXXIV, 366.

(3) Tertull. *de Resurrect.*, cap. XVII ; apud Migne, t. II, 816 B ; — Cf. *Ibid.*, cap. XXXIII, 842 B.

Hoc enim vi religiosi dogmatis et prædicantium auctoritate plerique credebant.

Hic vero animadvertamus permultum interesse quid credatur, et cur credatur, neque in philosophica disciplina hoc solum quærendum esse, quid ut verum teneatur, sed et quibus argumentis confirmetur id quod tenetur ut verum. Atqui in multis rebus longe prius veritas agnoscitur, quam bonis rationibus demonstretur. Permulta enim sunt, ut Deum exsistere, animam esse corpori superstitem, quæ bene intuenti non ita difficile apparent ; hæc tamen eadem, quæ ab initio humanæ societatis cognita sunt, labente temporis cursu, scientia tandem vera esse ostendit. Divinam mentem mundum ordinasse, aliquam hominis partem post mortem superesse, jam homerica carmina innuunt : græcam tamen philosophiam potius attendimus, non in veteribus hisce et primævis operibus, sed sequenti ævo, quando scilicet veri nominis philosophi hæc eadem argumentis et rationibus demonstrarunt. Simili modo animam spiritum esse, immortalem, Dei imaginem, cogitationis quæ a materia non pendeat capacem, cum hæc doctrina maxime cum fide congruat, christiani a primis temporibus opinati sunt. Illud autem imprimis est attentione dignum, quomodo id quod vulgo putabatur optimus quisque scriptor confirmarit, quomodo paulatim verum pleniore lumine fuerit illustratum.

Jam vero in exquirendis rationibus ad animæ naturam clarius ostendendam, ut ad cetera quæ docebant comprobanda, aliqua apparuit inter ecclesiasticos scrip-

tores controversia. Alii enim alio modo erga profanos philosophos se gesserunt.

Quidam nempe eos quos, utpote falsorum numinum propugnatores, sibi contrarios cernebant, omnino sunt aversati : et, cum eos tantummodo magistros erroris haberent, non existimarunt ex polluta et impurissima doctrina quidquam christianis viris esse capiendum. Sic Tertullianus, ut clarissimum nomen proferam, philosophum contemptu summo « gloriæ animal » appellavit (1), contenditque fidei lucem satis superque esse ad christianorum mentes illustrandas (2). Origenes contra, eodem tempore quo Tertullianus, cum omnia fidei documenta in corpus unum cogere conaretur, voluit rationem fidei consonam ostendere : multa ideo e philosophicis fontibus, ad quos sæpe accesserat, hausta protulit in medium. Hæc re vera mens fuit Ecclesiæ. Quid enim illa docet aliud nisi lumen utrumque, fidem scilicet et rationem, a Deo hominibus esse datum, ut ad veritatis agnitionem veniant? Si autem vera fides docet, vera quoque ratio, quo pacto veritas veritati adversari possit? Utendum igitur est et veritate quæ per fidem velut absque medio a Deo revelatur, et veritate quæ per rationem a Deo datam menti illucescit. Hæc præclare Augustinus : « ... Ea quæ fidei firmitate jam tenes, etiam rationis luce conspicias. Absit namque ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animan-

(1) Tertull., *de Anima*, cap. I ; — apud Migne, t. II, 647 A.

(2) Cf. *de Anima*, I, II, III. Concedit tamen philosophos argumentis e philosophia desumptis jure redargui, ac suis velut armis vinci. Permittit scilicet ut cum iis argumentemur *ad hominem*. — Cf. *Adv. Hermogenem*, VIII ; *Adv. Marc.*, lib. I, cap. XII.

tibus excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quæramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus (1). »

Quia ad Augustinum venimus, in ejus doctrina paulisper immoremur. Ipse enim ita magno fuit ac velut immenso ingenio, ut omnem fere tum profanorum, tum christianorum sapientium doctrinam mente sua complexus sit. Nihil fere ante ipsum vel ipso vivo dictum est, quod non attentus audierit, nulla demonstrata est veritas, quam non fuerit assecutus. Hinc, dicere ausim, ex solis ejus operibus, qui fuerit tunc temporis christianæ scientiæ status, quousque hæc quatuor primis post Christum seculis progressa sit, licet nobis judicare. In Augustini porro operibus, jam fere completam ac recte demonstratam doctrinam de anima hominis reperire est. Ille enim animam tum immortalem esse, tum prorsus a materia diversam, omnino agnovit et ratione ostendit, et ita quidem ut ipse fateatur nullum dubitationi locum superesse. Quæ sint præterea animæ vires, qua ratione anima his viribus utatur, jam satis bene et complete explicuit. Una de re, quam « caliginosissimam »

(1) *Epist.* CXX (*alias* CCXXII), §§ 2 et 3, — apud Migne t. XXXIII, 453. — Idem docet Augustinus, *Epist.* CXLIII (*alias* VII), § 7, scilicet fidem rationi nullo pacto posse esse contrariam, cum utraque ad verum sit a Deo ordinata. « Si enim ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. Rursus, si manifestissimæ certæque rationi Scripturarum objicitur autoritas, non intelligit, qui hoc facit, et non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati: nec quod in eis, sed quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit. » — T. XXXIII, 588.

vocat (1), origine scilicet animarum, tota fere vita dubitavit : in hanc quidem sententiam multum inflexus est, quæ docet animas directe a Deo creari : vix ausus est tamen affirmare.

Hic præterire non possumus illustrissimum inter Augustini coævos, sanctum Hieronynum, qui quanquam Augustino de quibusdam rebus sat levibus contradixit, cum eo tamen consensit de omnibus quæ sunt majoris momenti, et simul cum illo omnem præteritorum temporum scientiam collegit et in unum christianæ disciplinæ corpus adunavit.

Ita igitur se habuit christiana philosophia et quæstio de anima hominis, initio seculi quinti, cum scilicet Mamertus Claudianus natus est. Poterant igitur quo amplior et illustrior scientia fieret, quædam obscura lucidius exponi ; poterant et eadem quæ jam certa habebantur, vel novis vel melioribus etiam argumentis confirmari ; poterant imprimis Patrum argumenta e ratione desumpta, quæ inter theologicos tractatus plerumque disjecta jacebant, in opera vere philosophica colligi. Utrum Claudianus aliquid ad nunc scientiæ progressum contulerit, utrum saltem scientiæ ruinam pro virili parte retardarit, quid novi in argumentando, quas dotes in exponendo attulerit, in quæ sui temporis vitia inciderit, mox licebit videre. Sed priusquam ad hæc veniamus, quædam adjicienda sunt, ut ea, quæ de Ecclesia et mundo universo diximus, ad Galliam ipsam referamus. Etenim, ut auctoris doctrinam recte pensemus, videndum est quos inter

(1) *Epist.* CXLIII (*alias* VII), § 7 ; — t. XXXIII, 588.

homines vixerit, quas inter res, quibus temporibus.

Nemo est porro qui nesciat quam cito, quam acri studio, Gallia, ubi primum a Romanis subacta est, operam dederit litteris et philosophiæ. Galliæ enim incolæ ingenio et discendi amore præditi erant. Quid commemorem scholas quas permultis in urbibus cives ipsi condiderunt? Quid Burdigalensem nominem? quid Augustodunensen ? quid Pictaviensem ? quid magistros laudem perantiquæ coloniæ Viennensis? Quid dicam Lugdunense gymnasium, et ludos illos quibus Imperator quotannis soleret celebrari ? Hæc omnibus nota sunt. Per quatuor secula in Gallia nostra rhetores ubique docent; ubique juvenes electi audiunt; ubique litteræ florent, et eminent poetæ et oratores, quorum nomina pervulgata sunt in historia litterarum romanarum.

Neque his omnibus quæ a civitatibus et ab imperio romano fiebant ut colerentur litteræ humaniores, sese imparem præbuit Ecclesia Christi. Habuit et ipsa scholas suas in quibus, dirigentibus episcopis, clerici et presbyteri sacras scientias docerentur. In ipso sæpe episcopi palatio a sacerdotibus jam ætate maturis juniores instruebantur. Scimus inter ceteras eminuisse scholam illam Viennensen, quæ cathedralis dicebatur : in qua solemne fuit profanam cum sacra doctrina conjungere. Aderant et illa jam undique exstructa monasteria, e quibus tot scriptores, tot prædicatores, tot episcopi, tot egregii episcoporum adjutores, sine intermissione processerunt.

Ex omnibus præterea orbis terrarum partibus ad

scientiam augendam nova velut materies afferebatur. Etenim tum romana potestas, tum christiana religio id effecerant, ut populi omnes arctiore vinculo tenerentur, et res suas omnes facilius et liberius inter se communes facerent.

Hoc porro studium discendi, nova audiendi, omnia legendi quæ in variis mundi regionibus scriberentur, in nulla regione diutius incolume mansit quam in australi parte Galliæ. Huc per Mediterraneum mare naves et nuntii ex Africa et Asia advehebantur; hic Massilia quadam adhuc cum Græcia cognatione simul et commercio conjungebatur; hic duæ civitates romanis moribus maxime imbutæ, in quibus Claudianus omnem fere vitam traduxit, Lugdunum et Vienna, scientiæ lumen diutissime et latissime diffuderunt; hic demum contra ingruentem barbariem fortissime et per longum tempus feliciter decertatum est. Cum enim jam in Italia litteræ fere excidissent, et Africam, vix mortuo Augustino, Vandali popularentur, in australi tamen Gallia usque ad annum fere quadringentesimum quinquagesimum, velut ampla seges præclarorum virorum exstitit : satis sit nominasse, inter profanos scriptores, Ausonium et Rutilium Numatianum, inter ecclesiasticos, S. Eucherium Lugdunensem, S. Hilarium Arelatensem, S. Vincentium Lirinensem, S. Prosperum Aquitanum.

Hucusque igitur, scilicet usque ad priorem partem quinti seculi, profanarum litterarum splendor vix in Gallia obscuratus erat, lumen vero litterarum christianarum crescere visum erat et augeri. Non ad hanc

ætatem adhuc felicem pertinet Claudianus, sed ad eam, turbatam magis et jam steriliorem, quæ secuta est. Tunc enim, ruente jam ad perniciem imperio, Barbaris undequaque incursantibus, ex altera vero parte pelagiana hæresi aliquas Galliæ urbes inficiente, timendum fuit ne rei litterariæ et veritatis philosophicæ splendor penitus obscuraretur. Optimo cuique tunc fuit laborandum ut erroris umbras discuteret; ut animis jam insidentem barbariem propelleret; ut litterarum et philosophiæ studium jam refrigescens excitaret. Atqui inter viros excellentes qui illo tempore veritatis et pulcritudinis amorem habuere, et sanæ doctrinæ honorem suum servare tentaverunt, eminuit Claudianus, ita veteribus et egregiis scriptoribus excultus, ut eum barbarica lues haud multum infecerit. Immo, cum ipse iisdem fere annis occubuerit, quibus Romæ imperium, in se velut terminum ostendit ad quem christiana studia, antiquæ philosophiæ auxilio aucta, hoc primo Ecclesiæ ævo pervenerant. Post ipsum, obscuriora secula procedere incipient, quibus tamen labentibus, novum exsurget christianæ philosophiæ genus.

MAMERTI CLAUDIANI

VITA EJUSQUE DOCTRINA

DE ANIMA HOMINIS

CAPUT I.

DE VITA MAMERTI CLAUDIANI.

§ I. — DE CLAUDIANI INSTITUTIONE.

Auctor noster in omnibus codicibus manuscriptis *Claudianus* vocatur : in uno aut altero *Mamertus* Claudianus (1). *Claudianus* igitur proprio nomine vocabatur : *Mamertum* cognomen acceperat, ut videtur, a fratre suo sancto Mamerto, episcopo Viennensi (2). Gaspar Barthius eum in editione sua nominat : Clau-

(1) In cod. Paris. 2165 dicitur Mamertus Claudianus ; in cod. Paris. 1750, Claudianus Mamertus.

(2) Dicendumne *Mamertus Claudianus* an *Claudianus Mamertus*? Legas D. Engelbrecht (*Untersuchungen*, p. 114-115) : videbis rem in incerto manere. Attamen certum est seculo quinto hoc nomen posterius positum esse quo quis proprie vocaretur. Ipse D. Engelbrecht fateri videtur rectius dici debere : *Mamertus Claudianus*, quia Claudianus nomen fuit proprium scriptoris : at dicit se eum appellasse *Claudianum Mamertum*, propter usum receptissimum. Mihi hic usus non ita receptus esse videtur : scribere igitur liceat *Mamertus Claudianus*, ut scripsit D. A. Germain.

dianum *Ecdivium* Mamertum (1). Unde hoc nomen Barthius acceperit incertum est. Ex eo tamen nomine, si vere nomen esset scriptoris nostri, probari fortasse (2) posset Claudianum et fratrem ejus Mamertum uni e clarissimis in Gallia familiis adscribendos esse : hoc enim ipso seculo quinto, invenimus Ecdivium Valerianum in Galliis præfectum; alterum Ecdivium, Imperatoris Aviti vel filium vel privignum, comitem et patricium, qui Arvernos una cum sancto Sidonio fortissime defendit; sanctum Alcimum Ecdivium Avitum, qui a sancto Mamerto baptizatus fuit et secundus post ipsum Viennensem Ecclesiam rexit. At melius et firmius argumentum ad probandum Mamertos satis nobili loco ortos esse, mihi videtur familiaritas qua utebatur Claudianus cum Apollinari Sidonio. Quomodo enim Claudianus presbyter Sidonium, « præfectorium patricium », appellasset « fratrem amantissimum (3) », et virum sibi « specialem atque intimum (4) », si ipse nimis impare ordine ortus esset?

Hæc eadem cum sancto Sidonio amicitia ostendere videtur eamdem fere fuisse utriusque ætatem. Si igitur Sidonius, ut ferunt, circa annum 431 natus est (5),

(1) Hoc nomen rejiciendum putat D. Engelbrecht, eo quod neque apud ullum e scriptoribus veteribus qui de Claudiano meminerunt, neque in ullo codice manuscripto inveniatur. — (*Untersuchungen*, loc. cit.)

(2) *Fortasse* dico, non *certo* : nam : 1° desunt argumenta quibus probetur Mamerti cum Ecdiviis agnatio ; 2° quædam argumenta ostendere videntur hos Ecdivios quos nominavi, neque omnes inter se, nec cum Mamertis fuisse sanguine conjunctos, saltem magna propinquitate. — Ceterum hoc nomen aliter ab aliis legitur : *Ecdivius, Ecdicius, Æditius.*

(3) Lib. I, cap. I, 21, 5 ; 699 B.

(4) *Epist. I ad Sidonium*, 199, 15 ; 781 B.

(5) Sidonium anno 431 natum esse conjicit D. A. Germain, in thesi sua de eo gallice scripta.

Claudianum quem paulo majorem fuisse verisimile est, ortum esse dicamus inter annum 420 et annum 430. Arbitror autem eos qui Claudianum natum esse dicunt primis seculi quinti annis (1) non satis attendisse hanc familiaritatem ejus cum Sidonio, nec satis ea verba perpendisse, quibus uterque utitur. Difficile enim Claudianus Sidonium appellasset « fratrem amantissimum », Sidonius vero Claudianum « fratrem unanimum (2) », si unus altero triginta annis major natu fuisset. Ceterum e duobus Mamertis, noster junior fuit : erat illis et soror, e qua ortus est Petreius quidam, ad quem Sidonius epistolam undecimam libri quarti scripsit.

Jam vero, unde Claudianus oriundus sit, nullo certo documento compertum est. Viennensem eum fuisse multi dixerunt, ideo, ut puto, quia sanctus Mamertus Viennensis episcopus effectus est, et quia tunc temporis episcopi sæpe inter urbis cives eligebantur; quæ probatio nullam infert certitudinem (3). Vix melius argumentum est Claudiani epistola ad Sapaudum, Viennensem civem et rhetorem (4), quæ prima

(1) « Verisimillimum... videtur illius ortum.... ad primos quinti post Christum seculi annos esse referendum. » — D. A. Germain, p. 1. — « Claudianus Mamertus, geboren um 400... » — D. M. Schulze, p. 1.

(2) Sidon. *Epist.*, lib. IV, XI, de morte Claudiani, — tom. LVIII, 517 A.

(3) Sæpe enim Episcopi ex aliena diœcesi assumebantur. — Cf. Cælestini Papæ *Epist.* IV, cap. IV.

(4) Legitur apud Gallandium (*Veter. Patrum Bibliotheca*, tomo X; Migne, 693, A) : « Mamertum Claudianum sive, ut aliis placet, Claudianum Ecdicium Mamertum, domo Viennensem fuisse arguit Baluzius ex ipsius Claudiani litteris ad Sapaudum ubi hæc leguntur : Admonitus quoque sis oportet Viennensis urbis nobilitatis antiquæ, cujus tu civis et doctor non otio duplex debitum solves, in quo bifariam quæritur vel patribus respondere, vel patriæ. » At : 1° Inde inferri potest Sapaudum, minime vero Claudianum, fuisse Viennensem ; — 2° Id rectissime

fronte ostendere videtur aliquam fuisse jam Claudiano cum Viennensibus necessitatem, etiam antequam Mamertus ad episcopatum eveheretur (1) : at si quis rem attentius consideret, non minus probabile apparet Claudianum alibi quam Viennæ amicitia conjunctum esse cum Sapaudo (2). Ex altera parte, Berengarius ille qui, Abælardi discipulus, magistri sui apologiam scripsit, et qui libros nunc deperditos fortasse ad manum habuerat, Claudianum appellat « presbyterum Lugdunensem » : et certum quidem est Claudianum Lugduni, si non natum, at saltem per plures annos commoratum esse. Fortasse, (si fas sit hypothesi semel indulgere,) parentes scriptoris nostri Viennenses erant : at, Romanis moribus addicti et pacis amantes ab ea urbe discesserunt circa annum 438, cum scilicet Barbari Viennam occuparent et pervastarent, et venerunt Lugdunum, urbem tunc paulo tranquillio-

Baluzius infert de Sapaudo, non de Claudiano (*Præfat.* ad tom. VI *Miscellaneorum*). Gallandius vero sententiam Baluzii male intellexit, et sic erravit dupliciter.

(1) Certum est enim hanc epistolam scriptam esse ante Mamerti episcopatum, quia, a tempore quo Mamertus episcopus creatus est, Claudianus cum illo Viennæ habitavit, et ideo non misit epistolas Viennam.

(2) De amicitia Claudiani cum Sapaudo plures hypotheses fieri possunt : 1° Sapaudum ab anno fere 430 Viennæ docuisse, et Claudianum puerum adhuc eum audivisse, antequam Lugdunum migraret : id mihi, ut fateor, minime probabile videtur ; — 2° Sapaudum Viennensem Lugdunum migrasse, studiorum causa, et ibi Claudianum habuisse sodalem ; — 3° Sapaudum Lugduni studuisse, Claudiano duce ac magistro : D. Charaux in sua thesi de S. Avito dicit Avitum discipulum fuisse Sapaudi, Claudiani Sapaudum : quod verisimillimum videtur. In 2ª et 3ª hypothesi, Sapaudus Lugduno Viennam rediisset circa annum 455, ut Viennensem scholam, a Barbaris deletam, instauraret : paulo post ad eum scripsisset Claudianus, ut vires ei et animos adderet. Arbitror igitur non magistro suo, sed sodali, vel potius discipulo Mamertum has laudes tribuere : « Erui atque evelli infixa animo meo nequit declamationum tuarum suavitas mixta virtute... »

rem. Hoc anno Claudianus vix e pueritia egrediebatur (1).

Non porro hypothesi aliqua, sed certis documentis novimus Claudianum Lugduni adolescentiam egisse. Quapropter miror tam paucos hucusque fuisse qui id compertum habuerint — (fortasse enim non alterum nominare possim post P. Dominicum de Colonia,) — et hisce adhuc annis in Germania viros doctos inter se quærere ubi Claudianus studuerit, neminem vero urbem Lugdunum nominare (2). Ego quidem testem profero ipsum meum scriptorem, qui narrat sanctum Eucherium Lugdunensem sibi fuisse notissimum. « Haudquaquam, inquit, Eucherium prætererim, mihimet viventem doctrina et præsentaneis coram disputationibus cognitum, non porro nuntiis aut lectione compertum (3). » Porro Eucherius Lugdunensem Ecclesiam rexit ab anno 434 ad annum 450,

(1) Barbari Viennam bis occuparunt : anno scilicet 423 et anno 438. Ad annum 438 hæc habet scriptor historiæ hujus urbis : « Vienne-la-Riche et Vienne-la-Belle ne présentaient plus que des décombres ; l'intérieur de Vienne-la-Forte offrait des scènes de désolation... » (*Histoire de la ville de Vienne durant l'époque gauloise et la domination romaine...* par Mermet aîné, p. 494.)

(2) Georgius Kaufmann opinatur Claudianum a pueritia in monasterio Viennæ vicino fuisse nutritum : « Mamertus war von Jugend auf in einem Kloster erzogen, wahrscheinlich in dem Kloster Grigny. » (Georg Kaufmann, *Rhetorenschulen und Klosterschulen oder heidnische und christliche Cultur in Gallien wæhrend des 5. und 6. Jahrhunderts*, in *Raumer's historichem Taschenbuch*, 4. Fölge, 10. Jahrgang. 1869, pp. 69-70.) — Georgio Kaufmann adversatur D. Engelbrecht (*Untersuchungen*, p. 14,) qui asserit Claudianum rhetorum disciplina excultum esse. Tacet tamen et de commoratione Claudiani Lugduni, et de vita ejus apud monachos, quæ duo certa sunt. — D. Schulze hæc tantum habet : « Claudianus... ging schon in jungen Jahren in ein Kloster um dort sein Wissendurst durch eifriges Studium der Klassiker und, Kirchenväter su stillen ; » — pp. 1-2.

(3) Lib. II, cap. IX, § 3, 135, 12 ; 752 C.

ipso scilicet tempore quo Claudianus adolescens studiis vacabat. Præterea ubi oriri potuit hæc tam arcta Mamerti cum Sidonio amicitia, si non Lugduni inter studendum? Etenim Sidonius anno 455 Papianillam uxorem duxit, Aviti imperatoris filiam, et ex eo tempore sæpe apud Avitum et alios imperatores vixit, sæpe Avitaci apud Arvernos in prædio Papianillæ; Lugduni interdum commoratus est, interdum Viennæ, sed in ea urbe nunquam nisi brevi tempore, et iter faciens (1). Non hoc profecto tempore, sed quietiore et tranquilliore, scilicet per juventutem Lugduni actam, Sidonius Mamertos vidit et amicos sibi fecit.

Jam vero, quia compertum habemus Claudianum cum Sidonio studuisse, eo ipso novimus quas scholas adierit, quos habuerit magistros. Apud rhetores enim educatus est, ibique tum græcis, quæ adhuc vigebant, tum romanis litteris operam dedit. Porro, ut latinum sibi sermonem effingeret, se dedit eorum scriptorum imitationi, qui tunc præcipuo in honore habebantur : laboravit scilicet, ut adipisceretur eam peritiam cui « nec Frontonianæ gravitatis aut ponderis Apuleiani flumen æquiparem, cui Varrones vel Atacinus vel Terentius, Plinii, vel avunculus vel Secundus, compositi in præsentiarum rusticabun-

(1) Vitam sancti Sidonii talem describo, qualem legi apud D. A. Germain. Savaro quidem, in sua Sidonii editione (in adnotationibus ad *Epist.* II, lib. III) ait : « [Ante episcopatum] Sidonius Lugdunum habitabat, et plerumque Viennam. » Ego nihil tale invenio apud optimos auctores qui de Claudiani amico scripserunt : ipsæ epistolæ ad quas Savaro remittit (lib. V, *Ep.* VI et XVI, lib. VII, *Ep.* XV) nullo modo ostendunt Sidonium longo tempore Viennam incoluisse : in duobus ex illis ait scriptor se per Viennam iter fecisse : in tertia de Vienna prorsus tacet.

tur (1). » Tunc enim difficilius videbatur et periculosius Ciceronem æmulari : Varrones, et multo magis Plinium Secundum, et maxime omnium Frontonem et Apuleium discipulis suis rhetores proponebant. Quam sæpe Apuleium Claudianus imitatus sit, et quomodo ex eo antiquorum scriptorum et vetustorum verborum studium acceperit, nuper uberrime ostendit D. A. Engelbrecht (2).

Inter poetas, veteribus comicis studuit, hoc eodem antiquitatis amore impulsus, et Virgilio, quem pluries laudat (3), et Statio, qui jam ea fama fruebatur quam toto medio ævo obtinuit. Ceterum poesim didicit a viris qui et ipsi inter poetas quinti seculi numerantur, ab Hoenio nempe, et, ut verisimile est, a Victore. Utrumque novimus ex carminibus Sidonii (4). Nec

(1) S. Sidon. lib. IV, *Epist.* III, ad Claudianum, — in edit. Claud. D. Engelbrecht, 200, 10 ; apud Migne, LIII, 781 D.

(2) *Untersuchungen*, pp. 18 et *seqq.*, et *passim.*

(3) Claudianus quater sententias mutuatur a Virgilio, teste D. A. Engelbrecht : immo quinquies : nam hanc hexametri clausulam « quæ maxima turba est », quam D. Engelbrecht in editione sua poetæ ignoto adscribit, quam postea in Disquisitionibus (*Untersuchungen*, p. 43) apud Sidonium se invenisse lætatur, a quo conjicit Claudianum, dictionis Sidonianæ imitatorem, eam mutuatum esse; eam, inquam, clausulam apud Virgilium inveniri recte ostendit D. Salomon Reinach (*Revue critique*, 30 novemb. 1885, p. 417).

(4) Sed ne tu mihi comparare tentes
. . . .
Dulcem Anthedion, et mihi magistri
Musas sat venerabiles Hoeni.
(Sidon. *Carm.* IX, *circa finem*, — Apud Migne, t. LVIII, 703 A.)

Sic nos, o Cæsar, nostri spes maxima secli,
Post magnos proceres parvula thura damus,
Audacter docto coram Victore canentes,
Aut Phœbi, aut vestro qui solet ore loqui :
Qui licet æterna sit vobis quæstor in aula,
Æternum nobis ille magister erit.
(Sidon. *Carm.* I, v. 23 et seq. — Apud Migne, t. LVIII, 640, B.)

Ex hoc loco multi opinantur eumdem Victorem primum poesim docuisse Lugduni, postea factum esse sacri palatii quæstorem.

frustra Claudianus eorum præceptis imbutus est; nam poeta et ipse fuit, et quædam adhuc poemata ejus nomine inscripta leguntur.

Didicit sane Mamertus in iisdem scholis « musicam et astrologiam, quæ sunt infra arithmeticam consequentia membra philosophiæ (1) » : in opere enim suo mathematicis disciplinis sat eruditus pro tempore apparet. At imprimis, animum philosophiæ adjecit, in qua magistrum habuit Eusebium, Aristoteliæ disciplinæ, ut videtur, addictum. « Intra Eusebianos lares, scribit Sidonius ad quemdam alium e sodalibus suis, ... nunc varias nobis rerum sermonumque rationes, ipso etiam qui docuerat probante, pandebas : nunc ut Plato discipulus jam prope potior sub Socrate, sic jam tu sub Eusebio nostro, inter Aristotelicas categorias artifex dialecticus atticissabas, cum ille adhuc ætatulam nostram, mobilem, teneram, crudam, modo castigatoria severitate decoqueret, modo mandatorum salubritate condiret. At qualium, Deus bone, quamque pretiosorum !... (2) »

Sic veteri Romanarum et Græcarum litterarum disciplina in rhetorum scholis Claudianus eruditus est. Licet præterea conjicere eum, utpote qui clericali militiæ nomen dare jam optaret, sacram scientiam ex episcopali schola hausisse. Etenim sanctus Eucherius selectos juvenes in sacro quodam gymnasio, juxta suum palatium, congregabat; illos magistris optimis committebat, quorum unus fuisse videtur sacerdos ille Constantius, vir in sacris litteris eruditissimus, quem Sidonius maxime reverebatur, et cui suas

(1) S. Sidonius *ad Polemium*, ante *carmen* XIV, — t. LVIII, 711 A.
(2) S. Sidon. lib. IV, *Epist.* I ad Probum, — t. LVIII, 508 B.

Epistolas dedicavit ; studiosos adolescentes præsul ipse invisebat, et, suis ipsius colloquiis vel disputationibus de rebus sacris, fovebat : nam dicit Mamertus in libro secundo *de Statu Animæ* Eucherium episcopum « ingenii subtilissimum, scientiæ plenum, » cognitum sibi fuisse « præsentaneis coram disputationibus (1) ». Porro hoc verbo « disputationibus », non « contiones » sacras ad populum intelligit, de quibus meminit postea, sed philosophicas vel theologicas argumentationes (2).

Mox vero, cum adhuc Sidonius humanam gloriam appeteret, et se compararet ad vitam agendam quæ avitæ laudi digne responderet, post quindecim annos ad christianam humilitatem et sanctitatem reversurus, jam Claudianus a prima juventute doctrinæ et pietati totum se dedit. Adolescens enim, « virente in ævo (3), » quo facilius studio incumberet, et quo propius et intimius Deo adhæreret, ad quem et affectus ipsius et ingenium impetu maximo ferebantur, in monachorum societatem confugit. In quodnam cœnobium secesserit incertum est : quidam monasterium Griniacense juxta Viennam nominarunt, nulla alia ratione, ut puto, nisi quod crederent Claudianum Viennæ fuisse institutum (4). Equidem potius proponerem monasterium

(1) Lib. II, cap. IX, § 3, 135, 13 ; 752 C.

(2) Vide quo sensu « *disputatorem* » accipiat lib. I, cap. VIII et XII. In iis quæ dixi de episcopali schola Lugdunensi, fere secutus sum P. Andream Gouilloud : *Saint Eucher*, — Lyon, 1881, — pp. 270-302.

(3) Sidon. lib. IV, *Epist.* XI, — t. LVIII, 516 B.

(4) « Il y a toute apparence que ce fut dans ce monastère [de Grigny] que Mamert Claudien, depuis prêtre de l'Eglise de Vienne, se fit moine en sa jeunesse. Il faut que les études y fussent bien florissantes, puisqu'il y commença d'acquérir, par l'étude des auteurs grecs et latins, ce sçavoir éminent qui le rendit si célèbre dans la suite. » *Histoire littéraire de la France*, Etat des Letres dans les Gaules. v^e siècle, — t. II,

Athanacense vel aliud ex Lugdunensibus : libentius etiam crederem Mamertum admissum fuisse in quemdam monachorum cœtum quem Eucherius ipse collegisse et secum habuisse videtur (1) : nullo tamen certo testimonio id confirmare possim, nec res est ullius momenti.

Ceterum, per annos illos quos inter claustra traduxit, Mamertus sese in omni genere sciendi et disputandi exercuit. In placidissima sede eos doctrinæ thesauros sibi comparavit, quos postea ad veritatis auxilium fundere paratus fuit. Hæc enim a Sidonio accipimus :

Triplex bibliotheca quo magistro,
Romana, Attica, Christiana, fulsit :
Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit institutione (2).

Græcorum quidem et Romanorum scriptorum, maxime philosophorum, lectionem, cui apud rhetores vacare inceperat, in monasterio suo Claudianus

p. 36. — Idem dixit Georgius Kaufmann, cujus locum paulo supra retuli.

(1) Id conjicit P. Andreas Gouilloud in opere citato. Describit enim S. Sidonius Eucherium episcopum monachis stipatum et clericis. « Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi clericique psalmicines concelebraverant... » — t. LVIII, 547 C. — Opinor Claudianum inter Lugdunenses monachos potius quam inter Viennenses secessisse, quia, ut paulo infra dicetur, cum moderaretur hos philosophicos consessus, de quibus Sidonius meminit, lib. IV, *Epist.* XI, et adhuc Lugduni erat, et jam doctrina in primis conspicuus : videntur ergo hi consessus habiti esse dum monachus erat. — Addas Claudianum a Petro Berengario vocari « presbyterum Lugdunensem ». Fortasse igitur usque ad susceptum sacerdotium mansit Lugduni.

(2) In epitaphio Claudiani, lib. IV, *Epist.* XI, — t. LVIII, 516 B. — Hoc epitaphium nunquam fuisse inscriptum tumulo Claudiani recte, ut videtur, opinati sunt DD. Allmer et de Terrebasse, *Inscriptions de la ville de Vienne*, t. II, pp. 32-35.

absolvit : at, inter sacras latebras, plurimam, ut puto, temporis partem Christianis doctoribus impendit. « Ad ipsos, ut loquitur, cælestium voluminum fontes (2) » accessit. Libros illos pervolutavit, quos in bibliotheca monachi diligentissimis curis asservabant : alios veteres, et usu jam receptissimos, ut erant scripta Tertulliani, Origenis, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Ambrosii, et summi Galliarum doctoris, Pictavi Hilarii ; alios in monasterium recentius allatos, ut Hieronymi et Augustini : uterque enim nascente vel infante Claudiano decesserat. S. Augustinum præ omnibus ardore summo legit ; hujus disciplinæ adhæsit ; hujus ingenio delectatus est ; in eo adamavit flagrans veritatis inquirendæ studium et quæstiones omnes altissime rimandi, summum mentis acumen, miram in exponendo et disputando subtilitatem, artem exquisitam in veritate, vel a sensibus maxime remota, dilucide adhibitis comparationibus exponenda. Ad Augustini libros et aviditate mentis sciendi cupidæ, et quadam cognatione ingenii ferebatur. Hoc in Hipponensem episcopum studium in præsenti innuisse satis sit, de quo plura dicenda erunt, cum de fontibus ipsis disseremus, e quibus hausta sit philosophica disciplina, quam in libris *de Statu Animae* expositam invenimus.

Sic, virente in ævo, triplicem bibliothecam, Græcam, Romanam, Christianam, avido ore, secreta institutione, Claudianus ebiberat. Doctrinam quæsierat ubicumque hoc seculo latitabat : in rhetorum gymnasiis, in episcoporum scholis, ut videtur, et in monas-

(2) Lib. II, cap. IX, 131, 7 ; 750 D.

teriis. A rhetoribus acceperat antiquitatis et profanorum scriptorum notitiam, et quoddam artificiosæ dictionis studium quod frustra quæreres apud scriptores quinti seculi in claustris tantummodo nutritos, ut fuere S. Vincentius Lirinensis, S. Hilarius Arelatensis, Salonius Viennensis (1). Ex altera parte, ecclesiastica et monastica disciplina eruditus, scriptores christianos, theologiam et philosophiam altius didicit et perspexit, quam didicerunt et perspexerunt non modo pagani vel laici philosophi, verum etiam episcopi qui, virtutibus, eleemosynis, sanctitate, et ipsa scientia alioquin conspicui, ut S. Sidonius, serius tamen ad ecclesiastica officia evehebantur.

§ II. — CLAUDIANUS VIENNÆ DEGIT.

Quamdiu Claudianus in monasterio vel studuerit, vel docuerit (nam verisimillimum est virum tam doctum jam tum juniores studendi cupidos adjuvisse), incertum est. Nec satis compertum habemus quo anno frater ejus in Viennensem episcopum electus sit : novimus tantum S. Mamertum Ecclesiam sibi creditam jam rexisse anno 462. Porro illo tempore e claustris, tanquam ex amplissimis episcoporum et sacerdotum seminariis, tum Ecclesiarum rectores, tum adjutores eorum sæpissime educebantur. Placuit igitur S. Mamerto Claudianum fratrem, ad sacerdotium promotum, secum habere socium, sive, ut seculo nostro

(1) Sic D. Engelbrecht, *Untersuchungen*, p. 14.

diceretur, vicarium : quo in munere Claudianus non multo minus quam episcopus ipse in utilitatem Viennensium laboravit :

« Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans episcopali :
Nam de pontificis tenore summi,
Ille insigna sumpsit, hic laborem (1). »

Laudat quoque Sidonius reliquas Claudiani sui virtutes : « Condicionis humanæ per omnia memor, clericos opere, sermone populares, exhortatione mærentes, destitutos solacio, captivos pretio, jejunos cibo, nudos operimento consolabatur. Pariter et super his plura replicare superforaneum statuo. Nam merita sua, quibus divitem conscientiam censu pauperatus (2) locupletavit, spe futuræ retributionis celare plus studuit. Episcopum fratrem majorem natu affectuosissime observans, quem diligebat ut filium, cum tanquam patrem veneraretur. Sed et ille suspiciebat hunc granditer, habens in eo consiliarium in judiciis, vicarium in ecclesiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis, in lectionibus comitem, in expositionibus interpretem, in itineribus contubernalem. Sic utrique ab alterutro, usque ad invidiam exempli, matura fide germanitatis officia restituebantur (3). »

(1) S. Sidon., lib. IV, *Ep.* XI, — t. LVIII, 516 C. — Hic versus : « Antistes ordine in secundo, » significat Claudianum presbyterum fuisse, non vero episcopum : ut recte ostendit Sirmondus in nota ad hunc locum Sidonii.

(2) Claudiani paupertas minime evertit conjecturam qua dixi eum e nobili aliqua gente ortum esse. Fortasse enim ejus familia bona sua inter bella hujus tempestatis amiserat ; vel ipse, nuper monachus, religiosam paupertatem adhuc colebat.

(3) S. Sidon., lib. IV, *Epist.* XI, — t. LVIII, 516 A.

Præterea artes quas edoctus erat, studebat in pios usus exercere : poesim imprimis et musicen, quibus ad decorem et nitorem cultus divini utebatur :

« Psalmorum hic modulator et phonascus,
Ante altaria, fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes :
Hic sollemnibus annuis paravit,
Quæ quo tempore lecta convenirent (1). »

Hujus studii quo Dei laudes decantari Claudianus satagebat, ferunt quædam monumenta ad nos usque pervenisse. Inter cetera quidam Claudiano tribuunt hymnum de passione Jesu Christi :

« Pange, lingua, gloriosi lauream certaminis... »

quem tamen S. Fortunatus Pictavus codicum manuscriptorum auctoritate sibi jure reposcere possit. Præterea cum, Viennensi civitate terræ motibus et variis phænomenis exterrita, S. Mamertus preces eas fieri jussit, quæ postea, *Rogationes* dictæ, ab Ecclesia tota receptæ sunt, et quarum institutione fama ejus potissimum innotuit (2), magna certe fuit opera Claudiani ut earum supplicationum rationem et ritum præscriberet (3).

Hos inter et alios labores Claudianus cum fratre duodecim fere aut quindecim annos Viennæ vixit. Paucis annis decessit ante sanctum Mamertum (4),

(1) Id. *Ibid.*, — 516 C.

(2) De institutione Rogationum, cf. S. Sidon., lib. VII, *Ep.* I. — S. Aviti Viennensis, Homiliam *de Rogationibus*, — Apud Migne, t. LIX, col. 391 *et seq.* — Bolland. *ad diem 11am Maii.*

(3) Ex homilia S. Aviti *de Rogationibus* (Apud Migne, t. LIX, col. 392 B), videmus prophetiam Amos legi solitam esse Viennæ, feria III Rogationum. En ritum, ut verisimile est, a Claudiano institutum.

(4) Cujus mortis annus ignoratur. Videtur tamen adhuc vixisse anno 475.

anno scilicet 473 vel 474 (1). A morte et funere amici sui abfuit Sidonius. Neque ideo tamen perdidit desideratissimam flendi occasionem. Paulo post enim Viennam veniens, et ad fratris unanimi sepulchrum ductus, « lacrimis habenas laxavit » : ibique lugubre carmen condidit, neniam nempe illam, jam sæpe laudatam, cujus ultima verba sunt :

Udis parce genis rigare marmor :
Mens et gloria non queunt humari (2).

His paucis de Claudiani vita dictis, jam videamus quas partes scriptor noster inter coævos suos egerit in re tum litteraria, tum maxime philosophica.

§ III. — QUAS PARTES EGERIT CLAUDIANUS INTER LITTERATOS ET PHILOSOPHOS SUI SECULI.

Epistolæ Sidonii, quas ipse media inter arma et agmina, hoc procelloso seculo scriptitabat, plenæ sunt querelarum de litterarum excidio. Nec minus tristem Galliæ imaginem Claudianus nobis reliquit : « Bona-

(1) « Il y a bien de l'apparence que ce fut en 473 ou 474 : cette dernière année étant la seule à laquelle on trouve que saint Sidoine, depuis son épiscopat, soit allé à Vienne... » *Hist. lit. de la France*, tom. II, p. 445. — Minus recte D. Schulze Claudiani mortem refert ad annum 477, — *Die Schrift des Cl. Mamertus*, p. 3.— Errat præterea D. Schulze, cum dicit se sequi Lenain de Tillemont : hic enim opinatur Claudianum mortuum esse « ante finem anni 477... *Verisimiliter anno 474.* » Vide apud Tillemont, t. XVI, p. 126, hunc locum, quem arbitror D. Schulze usque ad finem non legisse. — Cf. p. 245.

(2) Lib. IV, *Epist.* XI, — t. LVIII, 517 A.

rum artium, inquit, jam inde a proavorum nostrorum seculis facta jactura, et animi cultum despuens quo solo præstat pecudi, gens humana deliciis et divitiis serviens, ignaviæ et inscitiæ famula, pessum porro dedit cum doctrina virtutem (1)... Video enim os romanum, non modo negligentiæ, sed pudori esse Romanis, grammaticam uti quamdam barbaram barbarismi et solœcismi pugno et calce propelli; dialecticen tamquam Amazonem stricto decertaturam gladio formidari; rhetoricam acsi grandem dominam in angusto non recipi; musicen vero et geometricam atque arithmeticam tres quasi furias despui; posthinc philosophiam [atque] (2) uti quoddam ominosum bestiale numerari (3)... »

Cur porro ita studia perierint quærit Claudianus, utrum vitio negligentiæ humanæ an naturæ? At « si malum istoc naturæ vitio vertimus, numquidnam a genere humano differre dici potest genus humanum, aut ingenia eadem non sunt quæ fuere prius (4) ? » Non hoc Claudianus arbitratur : censet paria esse hominum in diversis seculis ingenia, nec plus Tullium

(1) Sic quidem interpungenda mihi videtur hæc sententia : aliter tamen interpungunt omnes edd. Sic apud D. Engelbrecht : « Bonarum artium jam inde a proavorum nostrorum seculis facta jactura et animi cultum despuens, quo solo præstat pecudi gens humana, deliciis et et divitiis serviens ignaviæ et inscitiæ famula pessum porro dedit cum doctrina virtutem. » Jam minime apparet quodnam sit subjectum sententiæ.

(2) In *mss* : « Posthinc philosophiam *atque* uti quoddam ominosum bestiale numerari : » quod caret sensu. In edit. sua D. Engelbrecht [atque] uncis inclusit. In *Disquisitionibus (Untersuchungen*, p. 113), censet supplendum : « philosophiam atque *astrologiam.* »

(3) Claud. Mam. *Epist. ad Sapaudum*, 203, 15, 204, 22; 783 D, 784 B.

(4) Claud. Mam. *Epist. ad Sapaudum*, 204, 4; 783 D.

aut Platonem a natura accepisse quam sui ipsius coævi accepissent. At præclaris illis viris summum inerat doctrinæ acquirendæ studium, quo instincti nulli labori parcebant : Cicero in Græciam profiscis-cebatur ; Plato « angustiorem credens Græciam doctrinarum quam sese virtutum... usque ad Ægyptum, et ad usque Brachmanos Indorum et ad usque Pythagoricarum doctrinarum [per] (1) heredes indefessus rerum scrutator accessit (2). » Quam longe aberant seculo quinto ab hoc discendi amore ! Cum Galliam replerent aut Barbari, aut Romani et Galli, quorum pars toti in eo erant ut contra Barbaros armis dimicarent, pars barbaris moribus indulgebant. « Unum illud, subjicit, procul ambiguo dixerim, nostro seculo non ingenia deesse, sed studia (3). »

Ipse vero, tot inter barbaros et desides, studiis mentem intendit ; mediam inter barbariem, græcam et romanam culturam exemplo et scriptis promovere conatur. In scriptis ejus, ne unum quidem verbum invenias de tot bellis hoc tempore habitis. Ferreo seculo se vivere tunc tantum meminit, cum coævos suos corripere tentat, et ad mores præteritorum temporum revocare : ipse quantum potest, eo modo vivit quo aurea litterarum et philosophiæ ætate vivebatur ; Græciam « disciplinarum omnium atque artium magistram (4) », verbis extollit quæ scripta crederes ab aliquo Tullii vel Plinii coævo. Claudianus unus est, immo præci-

(1) *Per*, quod in codd. invenitur, at sensu videtur carere, D. Engelbrecht uncis inclusit.

(2) *Ibid.*, 204, 11 ; 784 A.

(3) *Ibid.*, 204, 16 ; 784 A.

(4) Init. *Epist. ad Sapaudum*, 206, 3 ; 783 C. — Cf. lib. II, cap. II et VII.

puus est ex illo doctorum virorum cœtu, qui una cum Sidonio suum litteris honorem servare fortiter tentant, quamvis ipsis omnia infesta atque inimica sint; hos inter præclaros homines, ut judex de litteris peritissimus habetur : « Præter æquum ista conjectas, scribit ad eum Sidonius, si reare mortalium quemquam (cui tamen sermocinari latialiter cordi est), non pavere cum in examen aurium tuarum quippe scriptus adducitur (1). »

At ipse habetur potissimum et haberi vult ut doctrinæ fautor indefessus. Sapaudus Viennensis, Claudiani sodalis vel discipulus (2), scholam Viennensem sibi a proavis traditam, a barbaris, ut videtur, deletam, media inter arma instaurare valuerat : hæc ut audit Claudianus, amico suo scribit, ipsique gratulatur, et lætam discipulorum turbam, spem litterarum, poetice depingit : « Erui atque evelli infixa animo meo nequit declamationum tuarum suavitas mixta virtute, Attici more mellis, cui suapte natura indita sunt medela, fortitudo, dulcedo : quod in Hyblæ jugis volucris atque opifex apicula cælitus deciduum haustu capiens fabrefactis manso florigeris infundit (3), filiorumque fabricatrix, virginitatis suæ feturam alit atque imbuit ubere favorum : ita tu scilicet e summis auctoribus velut e magnis montibus doctiora quæque velut thyma fraglantia, et fecundiora veluti quædam florida præcerpens, quos

(1) T. LIII, 781 C.

(2) Cf. initium hujus capitis, cum notis. — Huic Sapaudo favebat Pragmatius, vir hoc tempore litteratus et potens, quem Valerianus, Galliarum præfectus, consiliis suis et tribunalibus sociarat. Cf. Sidonii lib. V, *Epist.* X ad eumdem Sapaudum.

(3) Hæc verba, quia sic ab omnibus eduntur, immutare nolui : me tamen minime intelligere fateor. Libenter legerem : « Fabrefactis *mansionibus* florigeris infundit. »

ingenii melle repleas, eloquentiæ conficis favos, e quibus item discipulorum tibimet velut filiorum numerositas dilecta formatur; quæ Græcarum quoque disciplinarum nectare imbuta, acsi melle Attico pasta, ut occeperit pennis strepere, eloquentiæ favos et ipsa conficiet (1). »

Quo melius hos adolescentes Sapaudus instituat, Claudianus eum consiliis juvat, quæ referre operæ pretium est. Mirum est enim videre quos scriptores legendos Mamertus amicis suis commendet : « Illud jam, inquit, in fine sermonis perquam familiariter quæso, ut spretis novitiarum ratiuncularum puerilibus nugis, nullum lectitandis his tempus insumas, [quæ] (2) quasdam resonantium sermunculorum taureas rotant, et oratoriam fortitudinem plaudentibus concinentiis evirant. Nævius et Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam (3), Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint. Quisquis enim recentiorum aliquid dignum memoria scriptitavit, non et ipse novitios legit. Illi ego reventilandi memoriæque mandandi sunt, de quibus isti potuere proficere quos miramur (4). »

Nec putemus Claudianum solum fuisse qui tanti fa-

(1) Claudiani *Epist. ad Sapaudum*, — 205, 5 ; 784 C.

(2) *Quæ* in *mss* abest : restituendum tamen censet D. Engelbrecht.

(3) Forte legendum est *Crispus*, scilicet Sallustius, ut lib. II, cap. VIII.

(4) *Epist. ad. Sapaudum*, 205, 26 ; 785 A. — His verbis *isti quos miramur*, innui Apuleium suspicatur D. Engelbrecht, *Untersuchungen*, p. 16 : « Wer dächte dabei nicht sofort an Apuleius, den allerdings geistvolleren Vertreter der frontonianischen Manier ? » Ingeniose quidem id conjicitur : possunt tamen hæc verba : *isti quos miramur*, indicare optimos scriptores seculi quinti, Claudiani et Sapaudi coævos.

ceret quosdam e vetustissimis Romæ scriptoribus : non absimilem nominum seriem profert Sidonius, cum amicum suum laudationis causa cum viris præstantissimis comparat : « Vernat, inquit, ut Hortensius, æstuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius (1). » Fabius sane vel Crassus (2) a Sidonio non ut scriptores nominantur, sed ut viri fama notissimi, hic simulandi arte, ille cunctandi; verisimile est quosdam alios, Appium exempli gratia, aut Cethegum aut Curionem, magis ex Ciceronis vel aliorum testimonio, quam ex ipsis eorum orationibus laudari; supponi etiam potest Catonem et Gracchum non minus fide Frontonis et Apuleii quam ipsa lectione Claudiano et Sidonio cognitos esse (3) : constat tamen scriptores veteres magno tunc in honore fuisse in Sidonii et amicorum ejus cœtu; Nævium, Plautum, Varronem, Hortensium, Cæsarem (4), tunc fuisse lectitatos ; ex eorum operibus desumpta esse a Claudiano verba « nova, quia vetusta (5) » ; hos veteres auctores, una cum Frontone et Apuleio recentioribus, fuisse celebratos, eo studio antiquitatis simul et novitatis quo optima etiam ingenia laborant, cum excidunt artes et litteræ.

(1) S. Sidon. lib. IV, *Epist.* III, — t. LIII, 782 C.

(2) Arbitror enim non de oratore hic agi, sed de Crasso Cæsaris et Pompeii socio in triumviratu.

(3) Id supponit D. Engelbrecht, et profert Frontonem : « Contionatur Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius copiose, » et Apuleium *Apol.* 95. — *Untersuchungen*, p. 17.

(4) Addas Sallustium, si legas in Epist. Claudiani *Crispum* non *Chrysippum*.

(5) « Nova ibi verba quia vetusta. » S. Sidon. lib. IV, *Epist.* III, — t. LIII 782 A.

Philosophiæ vero maximam operam Claudianus noster impendit. Sive enim cum Lugduni studeret, sive cum in suo monasterio veterum libros tacita institutione ebiberet, sive cum, sacerdos factus et Viennam evocatus, fratrem pastorali cura pro virili parte levaret, ubique et toto vitæ suæ curriculo « indesinenter salva religione philosophatus est (1) ».

Duplex porro hoc tempore philosophorum agmen : unum paganorum, Christianorum alterum : illud veterem philosophiam jam pene emortuam, veteres sectas omni jam decore suo orbatas et spoliatas conservare tentabat : hoc novam doctrinam et sapientiam, modo adultam et juventute florentem, promovere satagebat et devictorum hostium spoliis adornare.

Pagani philosophi antiquarum scholarum nomina et vestes usque ad hoc tempus retinebant. Audi Sidonium varias sectas, quæ inter se adhuc decertabant, recensentem in carmine ad Polemium :

Hoc in gymnasio Polemi sapientia vitam
Excolit, adjunctamque suo fovet ipsa Platoni.
Obviet et quanquam totis Academia sectis,
Atque neget verum, veris hunc laudibus ornat.
Stoica post istos, sed concordantibus ipsis,
Chrysippus Zenonque docent præcepta tenere.
Exclusi prope jam Cynici, sed limine restant,
Ast Epicureos eliminat undique virtus (2).

Nominat et ipse Claudianus sui seculi « Epicureos et Cynicos (3) ». Porro hi omnes crinem adhuc bar-

(1) S. Sidon. lib. IV, *Epist.* XI, — t. LVIII, 515 A.
(2) S. Sidon. *Carm* XV. — t. LVIII, 715 A.
(3) Lib. II, cap. IX, § 2, 133, 15 ; 751 D. — Peripateticos nominat S. Sidonius lib. IX, *Epist.* IX, — t. LVIII, 625 C.

bamque pascebant : famosum illud veterum philosophorum pallium gerebant : baculum, sive ut derisores aiebant « herculeam clavam », manu gerebant : nescio quam affectabant de vestium squalore jactantiam (1). Antiquarum tamen scholarum nomina tantummodo et habitum servabant : studia et doctrinam plerique abjecerant.

Istos optimus quisque et vere doctus homo contemnebat : istos Claudianus « nunc irridebat, nunc etiam exsecrabatur (2) ». Porro ipse imaginem quamdam sat vivide et perite expressam nobis reliquit eorum sui seculi philosophorum qui immerito scientiæ nomen jactitabant: hunc locum refero, quem alicujus momenti esse duco, et iis qui historiæ philosophiæ student utile : id unum doleo, quædam scilicet in eo verba seculum jam barbarum magis quam atticam urbanitatem redolere : « Videas hic alios quiddam socordi trutinare judicio, alios id ipsum aut nescios stulto laudare præconio, aut sciolos subdolo ridere consensu; hos inter placere sibi illum, quem nemo nisi aut ignarus laudavit aut callidus. Hic jam feruntur de singulis non pro meritorum, sed pro votorum qualitate sententiæ; ob laudem præsentum quorumpiam rabularum longe maximi damnantur auctores. Istic ille laudatus, ne infra laudantum videatur stare judicium, panniculos quosdam ex diversorum varia lectione concerpit, eosdemque vilibus suis veluti quibusdam stuppeis adsuit, laceroque vestitu turpior nudis, absque furaci meditatione mutus eloquentiæ, palliatus incedit. Cernas

(1) S. Sidon., lib. IV, *Epist.* XI, — t. LVIII, 515 A ; — lib. IX, IX, 625. — *Carm.* XV, 712 *et seq.*

(2) S. Sidon., lib. IV., *Epist.* XI, — t. LVIII, 515 A.

hic alium situ fetidinarum turpium ex olenticetis suis ac tenebris cloacam ventris et oris inhalare sentinam, interque ructandum quasdam suggillatiunculas fringultientem, ab alio qui stipem suam variis conlurcinationibus dilapidavit parasitico more laudari. Inter has hujusdemque modi quisquilias aliquid tu sobrium tuto dixerisne? Porro magnum aliquod e socordi turba periculum periclitabere : quidum? *Imperito* quippe *nihil quidquam injustius* (1). »

En tibi Claudianum vanos philosophos carpentem et irridentem : audi nunc iratum et vindictam illis minitantem : « Hos, inquit, ac tales egomet non pavesco, ac, si qui nunc monendi locus est, moneo præque denuntio : quique isti quique sunt alii, qui vel in magnos viros obloquia vel de rebus summis deliramenta quædam cum compotatoribus mussitant, aut palam loquantur, aut taceant. Enimvero eruentur mihi atque extrahentur etiam nuncupatim ex abditis tenebellarum qui hactenus delituere. Prænosci vero licet, tacere ne habeam facta quorum nomina non tacebo (2) . » Nobis quidem dolendum est Claudianum eorum hominum quos descripsit nomina reticuisse : quæ et descriptionem ipsam majore attentione dignam

(1) Lib. II, cap. IX, § 4, 136, 15 ; 753. — In fine laudat Terentium, *Adelph.* v. 98. — Præterea, verba plura ex Apuleio desumpta hic animadvertit D. Engelbrecht ; cf. *Untersuchungen*, pp. 19 *et seq.* et pp. 108, 109. — Cf. hunc alium Claudiani locum... «... Acrius isti, ni fallor, abstrusas rerum rationes ingressi sunt, quam nonnulli nostrates, qui cubiculariis disputationibus de sublimium indage causarum aliquid soporiferum in lectulis oscitantes, perpellente copia tepentium neniarum, stolido laudatore veternosas anilium opinionum suspiciones edormiunt, innexamque visceribus animam corporis claustris includi et contineri decernunt. » Lib. II, cap. VIII, 129, 16 ; 750 A.

(2) Lib. II, cap. IX, § 4, 137, 8 ; 753 B.

facerent, et summopere utilia essent ad hoc seculum melius noscendum.

Sic auctor noster se adversarium opponebat et paganis philosophis et simul christianis aliquibus eousque prolapsis « ut extraneos mallent cum falsitate præeligere (1) », quam plerisque christianis doctoribus cum veritate adhærere. Claudianus ipse se christianum philosophum esse profitebatur. Veram doctrinam sentiebat eruendam esse e sacris primum auctoribus, quos « authenticos (2) » appellabat ; postea e « tractatoribus (3) », scilicet ex iis qui sacros libros explicarunt, et e ceteris Ecclesiasticis scriptoribus. Hos magistros suos agnoscebat ; eorum vestigiis insistebat; inter eos se adnumerari exoptabat, et se ipsum dici « spiritalem sophistam (4) ». Attamen, quanquam christianos doctores sequebatur, vel, ut melius dicam, quia sequebatur christianos doctores, eorum more sibi cavebat ne veteris philosophiæ studium contemneret. Cognoscendam sibi putabat omnem antiquarum scholarum disciplinam, primum ut ethnicos philosophos posset « propriis armis, propriis quoque concutere machinamentis (5) ».

Nec tantummodo certaminis causa Mamertus studebat veteri sapientiæ, at eam propter se ipsam adamabat. Degeneres quidem sui temporis sophistas contemptu dignos, ut erant, existimabat : at veteres illos philosophos,

(1) Lib. II, cap. IX, § 3, 136, 13 ; 753 A. — *Præeligere* restituit D. Engelbrecht : Migne : *prælegere*.
(2) Lib. II, cap. IX, § 4, 138, 4 ; 753 C.
(3) Lib. II, cap. IX, § 4, 138, 4 ; 753 C.
(4) Lib. II, cap, IX, § 2, 133, 15 ; 751 D.
(5) S. Sidon., lib. IX, *Epist.* IX, *ad finem*, — t. LVIII, 625-626. — Vide locum, in quo dicit Sidonius studium philosophiæ veteris necessarium esse christiano, ut cum paganis dimicet.

magnarum scholarum auctores, viros ingenio sublimes, rerum inventarum magnitudine conspicuos, summis laudibus extollebat (1) : his se plurimum debere libens profitebatur. « A collegio complatonicorum, ait Sidonius, solo habitu ac fide dissociabatur (2). » Immo præclaras illas veterum philosophorum mentes, divinitus terris datas esse, splendida velut quædam mundi lumina, ut paganis simul et christianis prælucerent, admiratione raptus arbitrabatur : Cum videmus, inquit, « illic valde consentanea nostrisque oppido conniventia pronuntiari,... animadvertamus, præter nativum humanæ mentis vigorem, hasce videlicet animas, quæ tam remota persecutæ sunt, tam clausa adierunt, tam operta viderunt, idcirco scilicet lumine veritatis afflatas, ut, in salutem generis humani, toto quandoque mundo divinitus editum dogma apud rudes veri gentium mentes gentilium testimoniis uteretur, quo magis ignorantiæ nubilo cæcata et infidelitatis frigore in quamdam glaciem durata gentilitas evangelicæ veritatis calori cederet, si eadem veritas adversantium quoque sibimet ore sonuisset. Aut cur non hæc eadem per philosophos nobis in usum veri cælitus procurata credamus, quæ ad redarguendam nostrorum quoque imperitiam utilia fore cognoscimus? (3) »

Sic in christianorum philosophorum agmen adscriptus armis fidei et veteris sapientiæ instructus, toto vitæ suæ tempore pro vera et sana doctrina Claudia-

(1) Vide inter cet. lib. II, cap. II et VII, — et init. Epistolæ *ad Sapaudum.*
(2) S. Sidon., lib. IV. *Ep.* XI, — t. LVIII, 515 A.
(3) Lib. II, cap. VII, § 5, 124, 22 ; 748 A.

nus fortissime dimicavit : a coævis suis habitus veri et recti arbiter. Jam enim Lugduni, virente in ævo, ab æqualibus et ab amicis paulo junioribus assidue consulebatur : in cœtibus, in quibus studiosi juvenes varias inter se quæstiones agitabant, ipse præses et moderator aderat. « Deus bone ! scribit Sidonius, quid erat illud, quotiens ad eum sola consultationis gratia conveniebamus ! Quam ille omnibus statim totum, non dubitans, non fastidiens, aperiebat ! voluptuosissimum reputans, si forte oborta quarumpiam quæstionum insolubilitate labyrinthica scientiæ suæ thesauri eventilarentur. Jam si frequentes consederamus, officium audiendi omnibus, uni solum quem forsitan elegissemus, deputans jus loquendi : viritim, vicissimque, non tumultuatim, nec sine schematis cujuspiam gestu artificioso doctrinæ suæ opes erogaturus. Dein quæcumque dixisset, protinus reluctantium syllogismorum contrarietatibus excipiebamus. Sed repellebat omnium nostrum temerarias oppositiones. Itaque nihil non perpensum probatumque recipiebatur. Hinc etiam illi apud nos maxima reverentia fuit, quod non satis ferebat ægre pigram in quibusdam sequacitatem. Hæc apud eum culpa veniabilis erat : quo fiebat, esset ut nobis patientia ejusdem sine imitatione laudabilis. Quis enim virum super abditis consuleret invitus, a cujus disputationis communione ne idiotarum quidem imperitorumque sciscitatio repudiaretur (1) ? »

Ceterum hos doctorum virorum conventus, quorum Sidonius meminit, Viennæ habitos esse, cum sanctus Mamertus jam pontifex esset, plerique et nuperrime

(1) S. Sidon., lib. IV, *Ep.* XI, — t. LVIII, 515.

D. M. Schulze (1) et D. A. Engelbrecht (2) arbitrati sunt : ego tamen, etsi vereor ne audacius sit omnibus aut fere omnibus qui de Claudiano scripserunt contradicere, eos conventus Lugduni habitos esse existimo et affirmandum puto. Loquitur enim Sidonius de consessibus qui frequenter fierent : « Quotiens conveniebamus... ; » loquitur de amicorum, et ut videtur sodalium, turba quæ adesset : « Si frequentes consederamus... uni quem forsitan elegissemus... omnium nostrum... » Porro, sanctus Sidonius nec sæpe, nec diu, Mamerto episcopo, Viennæ moratus est (3) : nec in ea urbe habuit turbam sodalium. Claudianus igitur Lugduni doctis cœtibus præfuit : sive cum ipse studeret, sive ut verisimilius est, exactis studiis, cum monachus esset vel cum nuper evectus esset ad sacerdotium, vel fortasse in episcopali aut monastica schola doceret (4).

At, etiamsi hæc concilia Lugduni facta sunt, non minus tamen Viennæ Claudianus philosophiam coluit, et doctos amicos quantum potuit circum se congregavit. Innotuit etiam ejus nomem extra Viennensem terram,

(1) « Zum Presbyter an der Kirche in Vienne erwählt... er versammelte junge Leute um sich, um mit ihnen zu disputieren...; » pp. 2 et 3.

(2) « Wie gross die Neigung zu den rhetorischen Studien und den aus der Schule her gelaüfigen Disputirübungen bei Claudian gewesen sein muss, geht daraus hervor, dass Sidonius von ihm erzählt (*Epist.* IV, xi), er habe noch in seinen späteren Jahren um sich gelehrte Cirkel gebildet. » (*Untersuchungen*, p. 17.)

(3) In epistola ad Sidonium, Claudianus, Viennæ degens, queritur se ab amico vivere separatum : « Si possibile factu esset, ut te dominum meum *vel aliquotiens aliquantulum convenirem... quippe revisionis potestas multis modis ac miseris perinde causis intercluditur.* » — Engelb., 198, 3 ; Migne, 779-780.

(4) Etenim de eo Sidonius loquitur jam fere ut de magistro.

ita ut amicum habuerit Salvianum Massiliensem, qui videtur ipsi opus quoddam nunc deperditum dedicavisse (1). Demum, in Australi Gallia dicebatur « peritissimus Christianorum philosophus, et quorumlibet primus eruditorum (2);... vir providus, prudens, doctus, eloquens, acer, et hominum ævi, loci, populi sui ingeniosissimus (3) »;

Orator, dialecticus, poeta,
Tractator, geometra, musicusque;
Doctus solvere vincla quæstionum,
Et verbi gladio secare sectas,
Si quæ catholicam fidem lacessunt (4).

Sane, de laudibus quas scriptores illius seculi sibi inter se tribuebant, semper demendum est aliquid, multum vero de laudibus quas amicis suis, immo viris parum sibi notis Sidonius impertiebat. Manet tamen Claudiani famam magnam fuisse, et eum suo tempore et sua in regione, catholicis hominibus amicum, scriptoribus a vero declinantibus formidandum, primas in philosophia partes egisse.

(1) « Expositionis extremæ partis libri Ecclesiastici ad Claudium episcopum Viennensem librum unum. » Gennadius, cap. LXVII, *de Salviano*, apud Migne, t. LVIII, 1099. Claudianum vulgo putant hic designari : res tamen non adeo liquet : nam Claudianum nostrum Gennadius cap. LXXXIII (apud Migne, t. LVIII, 1106), recte *presbyterum* appellat, non *episcopum*. Fortasse S. Mamertus Claudius Mamertus dicebatur et ipsi liber dicatus erat.

(2) S. Sidon., lib. V, *Ep.* II, — t. LVIII, 533 B.

(3) S. Sidon., lib. IV, *Ep.* XI, — t. LVIII, 515 A.

(4) Id. *Ibid.*, — 516 C.

CAPUT II.

DE EPISTOLA FAUSTI REIENSIS ET DE LIBRIS MAMERTI CLAUDIANI.

§ I. — DE FAUSTO REIENSI.

Minime id muneris suscepi, ut lites eas dirimerem quæ de Fausto illo, quem Claudianus confutavit, jamdiu fervent. Ille enim, virtutum fama notissimus, opiniones falsas docuit, vel etiam hæreticas ; ille, a multis *sanctus* appellatus, ab aliis « *semipelagianorum antesignanus* » et « *versipellis vulpecula* » dictus est. Nec fortasse tamen dignus fuit qui tanto in honore vel tanto in contemptu haberetur. Qui de illo melius scripserunt (1), mediam viam secuti, illum putaverunt fuisse virum multis dotibus ac virtutibus laudabilem, doctum etiam, et qui ad veram fidem illustrandam

(1) Cf. Jacobi Basnagii *Animadversiones criticas de S. Fausto Rhegiensi*, quæ in edit. Migne operibus Fausti præponuntur, Patrol. tom. LVIII, col. 777. — Nuper eamdem sententiam de Fausto protulit P. Andreas Gouilloud in opere jam laudato de sancto Eucherio.

scribere posset, imbutum tamen quibusdam falsis opinionibus, et in cujus scriptis errores deprehendi possint. Nos, his litibus dimissis, ea tantummodo dicamus quæ comperta sunt et quæ ad nos pertinent. Tractandam enim tantummodo suscepinus controversiam quæ inter Faustum et Claudianum de natura animæ habita est.

Natus est Faustus in Britannia majore, circa finem seculi quarti, ut verisimilius est, vel circa seculi quinti initium. Fortasse in insula quæ Pelagii patria fuerat, aliqua semina doctrinæ non satis catholicæ acceperat, et ea secum afferebat, cum, juvenis adhuc, matre comitante migravit in Australem Galliam. Eum litteris studuisse novimus (1), at nescimus utrum in Britannia, an apud nostrates. Philosophiam etiam, si laudatori Sidonio credendum est, amore summo prosecutus erat. « His igitur, inquit amicus, animi litterarumque dotibus præditus, mulierem pulcram, sed illam Deuteronomio adstipulante nubentem, domine papa (2), tibi jugasti : quam tu adhuc juvenis inter hostiles conspicatus catervas, atque illic in acie contrariæ partis adamatam, nihil per obstantes repulsus prœliatores desiderii bracchio vincente rapuisti : philosophiam scilicet... (3) » Addit Sidonius præclaram illam scientiam, « raso capillo superfluæ religionis ac supercilio scientiæ secularis (4), amputatisque pervetustarum vestium

(1) « Hæc [philosophia] tuo lateri comes inseparabilis, sive in palæstris exercereris urbanis, sive in abstrusis macerarere solitudinibus : hæc Athenæi consors... » S. Sidon. lib. IX, *Ep.* IX, — t. LVIII, 625 B.

(2) Hæc scribit Sidonius ad Faustum jam episcopum Reiensem : omnes episcopos tunc appellatos fuisse « *papas* » notum est.

(3) S. Sidon. lib. IX, *Epist.* IX, — t. LVIII, 625 A.

(4) Scilicet, veterum sectarum vestibus et insignibus.

rugis, id est, tristis dialecticæ flexibus, violenter a Fausto e numero sacrilegarum artium fuisse exemptam » (1) : quo loco confirmatur id quod superius dixi, nempe quinto illo seculo paganos nomen sibi philosophiæ retinuisse, et novæ religioni hanc suam doctrinam opposuisse, christianos vero hæc scientiæ arma e manibus hostium extorsisse, quibus et ipsi in castris Ecclesiæ dimicarent (2).

Faustus porro, postquam e scholis aliquam sibi doctrinam comparavit, secessit in celeberrimum Lirinense monasterium, nuper a sancto Honorato conditum. Ibi verisimile est eum novisse S. Eucherium, postea Lugdunensem episcopum, qui circa annum 410 Lirinum venerat et, post aliquot annos ibi exactos, Lerum transivit, insulam Lirino proximam. Videtur enim Claudianus, (quanquam adversarium suum non nominat,) innuere Faustum Eucherii disputationibus quondam edoctum fuisse, et postea a tanti viri doctrinis degeneravisse (3). At, inter « sanctos senes » quorum nomen et scripta Faustus reveritus est, fuit, præter S. Eucherium, notissimus ille Joannes Cassianus, qui Abbas Sancti Victoris, Massiliensis monasterii, plures e suis Collationibus dicavit monachis insularum Leri et Lirini : porro, in his scriptis, inter permulta laudanda, reprehendunt theologi aliquas semipelagianorum opiniones, philosophi vero eum

(1) Id. *Ibid.*

(2) Cf. omnem hanc Sidonii Epistolam, *circa finem*, — Migne, tom. LVIII, col. 625-626.

(3) Lib. II, cap. IX, § 3, 136, 10 ; 752 D, postquam Eucherium laudavit, addit : « Cedo [apud Migne *Credo*, minus recte,] cedo mihi nunc illos, qui æque talibus instituti ab hisce doctrinis degeneraverunt... » ad Faustum, ut videtur, alludens. Leri fuit S. Eucherius usque ad episcopatum susceptum anno 434.

errorem quo anima corporea esse dicitur. Lectio igitur earum Collationum, quas ipse commemorat, aliquid contulit ad Faustum a vera doctrina avertendum.

Anno 433, cum S. Maximus ex Abbate Lirinensi factus est episcopus Reiensis, Faustus in ejus locum suffectus est. Monasterium rexit magna pietatis laude, et, inter cetera opera quibus incubuit, curavit ut pueri et adolescentes, honesto vel etiam nobili loco nati, a monachis instituerentur. Hos inter cœnobii alumnos Sidonius fratrem juniorem habuit, ob id gratia erga Faustum adstrictus (1). Demum, postquam hoc munus per triginta, aut fere, annos exercuit, Abbas Lirinensis, S. Maximi bis successor, Reiensem sedem post ipsum occupavit. Ad eam promotus esse videtur circa annum 462. Virtutibus quam doctrina clarior, mortuus est, extrema senectute confectus, circa annum 490.

Nescimus utrum jam episcopus, an adhuc Lirinensi monasterio præpositus (2), Faustus scripserit epistolam illam, tertiam (3) in libro *Epistolarum* suarum, quæ tumultum tantum commovit. Hujus epistolæ sive libelli, cui Claudianus tres libros *de Statu Animæ* opposuit, summa et analysis aliqua tradenda est.

(1) Hæc igitur prima est vel causa, vel actio laudum,
Quod mihi germani, dum lubrica volvitur ætas,
Servatus tecum Domini per dona probatur,
Nec fama titubante, pudor; te respicit istud
Quantumcumque bonum....

S. Sidon., *Carm.* XVI, ad Faustum, — t. LVIII, 720 A.

(2) Scimus quidem Claudianum libros suos anno 470 edidisse : at fortasse eos aliquot ante annis scripserat, et fortasse aliquot anni intercesserant inter editam Fausti epistolam, et scriptum opus Mamerti.

(3) Tertiam in edit. Migne : Patrol. lat. tom. LVIII, col. 837 *et seq.* Ab aliis ponitur XVI : sic ab Henrico Canisio. — Posita est a D. Engelbrecht ante libros Claudiani.

§ II. — DE LIBELLO FAUSTI REIENSIS.

Hæc epistola, scripta ad episcopum cujus nomen ad nos usque non pervenit, triplici quæstioni respondet. Prima quæstio quædam difficultas est, ab Arianis proposita, quos confutat Faustus. Secundo quæritur quonam sensu idem Faustus in quadam epistola dicere potuerit de Verbo Dei : « Nihil sensit patientis sensu, sed sensit compatientis affectu (1). » Quam sententiam auctor exponere tentat : parum recte tamen, ut animadvertit Claudianus (2).

Tertia demum quæstio (3), illa scilicet quæ facit ad propositum nostrum, sic instituebatur : « Quæ in rebus humanis corporea, quæve incorporea sentienda sint. » Respondet Faustus, nil sibi præter Deum incorporeum videri : substantias quasdam, ut sunt Angeli vel ipsa anima nostra, spirituales dici posse, non incorporeas. Hæc Faustus affirmat ac demonstrare conatur paucis paginis nullo ferme ordine vel methodo. Melius igitur hic erit vestigiis ejus non inhærere, sed ea quæ passim docet colligere et ad certa quædam capita revocare (4). Sic theses et argumenta quæ sequuntur ex epistola Fausti licet eruere :

(1) Hoc dixerat Faustus in epistola ad Gratum, quæ refertur ad an. 449, — Migne, LVIII, 854 G.

(2) Lib. I, cap. III.

(3) Responsio ad hanc tertiam quæstionem sæpissime separatim edita est. Ipse Gennadius, Fausti coævus, pro duabus epistolis habet duas partes hujus libelli : hinc responsionem ad duas primas quæstiones, illinc responsionem ad tertiam.

(4) Jam vidit Franciscus Guizot necessarium esse ad certa capita hanc

1° — Solus Deus natura incorporeus est. — Angeli quidem vel animæ hominum spirituales possunt dici, quia cogitare valent, non sunt vero nisi res corporeæ.

2° — Aliud est, esse invisibile, aliud, esse incorporeum (1). — Invisibilis quidem est anima nostra, corporea tamen : habet secundum se corpus, quo subsistit, licet « multo et incomparabiliter tenuius, quam nostra sunt corpora ». Quantitate afficitur : scilicet, ut omnes corporeæ substantiæ, partes habet extra partes positas. Dici fortasse anima potest : « aer quidam subtilis » : ut aer enim, invisibilis est simul ac corporea.

3° Ea quæ nos dicimus invisibilia, ut sunt spiritus, Deo tamen visibilia et comprehensibilia, et corporea sunt.

4° — Cogitatio res est diversa ab ipsa substantia animæ nostræ. — Anima ipsa inserta membris permanet et illigata visceribus, cum interea cogitatio, motibus suis vaga, hac et illac in res varias et remotas deferatur. Quod quomodo fiat, Faustus non satis docet :

epistolam revocare, et eam revocavit ad capita quædam pauciora quam sunt ea quæ distinguo. — *Histoire de la Civilisation en France,* VIe leçon. — Cf. D. Schulze, pp. 4 *et seq.* : Inhalt der Schrift des Faustus; pp. 56 *et seq.* : Darstellung von Faustus' und Claudians Lehre.

(1) Hanc sententiam, quæ omnino vera est et aperta, certe vult exprimere Faustus. Cum autem eam protulerit his verbis : « *Alia esse invisibilia, alia vero incorporea;* » graviter a Claudiano arguitur, quasi dixerit alteram rerum partem esse invisibilem simul et corpoream, alteram incorpoream simul et visibilem. Hic subtilius, et acerbius, et iniquius Claudianus adversarium insectatur, (Lib. I, cap. VI, *init.*); deinde tamen agnoscit (*Ibid.*) Faustum « nisum esse dicere, esse quædam corporea quæ videri nequeant ».

clare vero illud confirmat, animam et cogitationem animæ duas res esse, hoc addito argumento : « Si [anima] per cogitationes suas constare credenda est, cur eis interdum evanescentibus atque pereuntibus, ipsa in sui vigore atque alacritate perdurat?...... Si ipsis anima constaret, absque dubio ipsis pereuntibus superesse non posset (1). »

5° — Hæc Fausti asserta ea potissimum ratione demonstrantur, quod, ut ipsi placet, anima, angeli, et res creatæ omnes spatio contineantur. Aut enim, sic ille ratiocinatur, creatura spiritualis locum proprie loquendo corporeum occupat, aut ubique, ut Deus ipse, præsens adest.

6° — Præterea, alia addit Faustus, quibus demonstret omnes res creatas esse corpora. — Dicit enim quosdam Patres asseruisse « et animarum et angelorum naturam esse corpoream, pro eo quod initio circumscribantur et spatio (2) ». De spatio plura subjicit, quæ retulimus. Nullo vero ratiocinio ostendit ille quid tempori et initio cum materia et corpore commune sit.

7° — Eodem fere modo significat Faustus corpoream esse animam hominis, quia « qualitates » suscipit. Qualitas hic intelligenda est, ut ab Aristotele et ejus asseclis definitur, scilicet determinatio quædam, qua substantia, eadem manens ut substantia est, ulterius perficitur vel deterior evadit. Faustus autem minime demonstrat tales qualitates non inveniri posse nisi in re corporea.

(1) Apud Claudianum D. Engelb. 12, 19.
(2) Apud D. Engelb., 9, 7.

8. — Deus præterea refertur omnia disposuisse « in numero et pondere et mensura (1) ». — Quo pacto ab hac lege anima hominis excipietur? vel quomodo numerus in ea poterit esse nisi sint in ea partes? quo modo pondus, nisi sit materia?

9. — Suam opinionem confirmare nititur Abbas Lirinensis, exemplis desumptis e sacra Scriptura. « Nonne, inquit, anima Lazari, manente vita, intra corpus fuit; secedente autem vita de habitaculo corporis exsulavit, et rursum in exanimum refusa corpus, illo unde se absentaverat, evocata remeavit ?... Sed quid ego hæc de corruptibili homine loquar? Cum ille cujus caro non vidit corruptionem, immaculatam quidem animam possederit, sed localem, quam utique intra se habuit, quando affixus est in patibulo, extra se procul dubio emisit, quando jacuit in sepulcro : quomodo non est localis, quam caro continet, vita conjungit, mors separat? Quod si, ut dicis, localem necessitatem animarum natura non recipit, non desunt ergo et de regione paradisi, illæ quæ carcere clauduntur inferni? Dic, quæso, si locales non sunt, quomodo peccatores a cœtibus consortiisque justorum, vastum illud chaos tristi interjectione discriminat, ut neque hinc illo possint accedere, neque inde huc transmeare (2)?... » Alludit hoc loco ad historiam de homine divite et Lazaro paupere e qua jam argumenta desumpserant, ut ostenderent animam esse corpoream, tum Tertullianus, tum Vincentius ille

(1) Sap. XI, 21. Hic Scripturæ locus nihil facit ad rem propositam, ut suo loco dicetur.

(2) Apud D. Engelbrecht, 13, 9.

Victor quem Augustinus confutavit. Faustus pergit, et aliis exemplis e sacra Scriptura desumptis, laborat ut probet Angelos et ipsos spatio contineri.

10. — Innititur præterea testimonio « sanctorum seniorum (1) », et profert duas sententias sancti Hieronymi (2), quas pessime interpretatur ; unam Cassiani, qui et ipse animam comparat « aeri cuidam subtili (3) ». Ceterum, etsi possumus confiteri et Cassianum et quosdam alios Patres corpoream animam effinxisse vel saltem de anima minus recte locutos esse, non poterat hujus opinionis assertor uti nisi paucissimorum Patrum testimonio : quos inter summa injuria posuit Hieronymum, ut Claudianus noster recte monstravit.

11. — Causam aliam addit Faustus cur animæ corpus adscribat, eam vero ad theologiam pertinentem. Ipse enim Arianorum impugnator, opinatur Verbum Dei melius distingui a rebus creatis, si hæ

(1) Apud D. Engelb. 8, 18.

(2) Si credas adnotationibus editorum, putabis unam tantummodo sententiam Hieronymi proferri a Fausto, sumptam e *Commentario in Job*, cap. xxv (apud Migne, t. XXVI, col. 687, ubi tamen ea non legitur iisdem omnino verbis atque apud Faustum, sed : *Si enim Angeli et cælorum etiam corpora*, etc.) — Verum hæc prior sententia quæ a Fausto affertur : « Globos siderum corporatos esse spiritus arbitrantur », minime invenitur in *Comm. in Job*, xxv, neque unde sumpta sit editores monent. Legitur aliquid simile in *libro contra Joannem Hierosolymitanum :* [Origenes putavit], inquit Hieronymus « solem quoque ipsum et lunam, et omnium astrorum chorum, esse animas rationabilium quondam et incorporalium creaturarum : quæ nunc vanitati subjectæ, ignitis videlicet corporibus, quæ nos imperiti et rudes luminaria mundi appellamus, liberabuntur... » — Apud Migne, t. XXIII, col. 369.

(3) *Collat.* VII, cap. xiii. — Apud Migne, t. XLIX, col. 683 *et seq.*

omnes corporeæ dicantur, illud vero, ut Pater est, ab omni materia natura sua secretum.

§ III. — ADNOTATA QUÆDAM AD EPISTOLAM FAUSTI.

Postquam epistolam Fausti, ad certa quædam capita revocatam, exposui ex ordine, juvat hic quædam de eadem epistola adnotare, quo melius et facilius cernere possis tum quæ fuerit doctrina Lirinensis Abbatis, qui errores, tum quibus de rebus potissimum disserendum esset Claudiano, ut eum confutaret.

Primum, patet Faustum non posse eadem ratione excusari qua a multis excusantur quidam Patres, quorum axioma fuit : « Spiritus omnis aut corpus est aut nihil est. » Potest enim dici eos *corpora* appellasse quas nunc dicimus *substantias*, ideoque non animas tantum corporeas effinxisse verum ipsum Deum. Non eadem est doctrina Fausti, qui hoc verbum *corpus*, ab illo *substantia*, rectissime distinguit, et Deum a ceteris omnibus secernit eo corpore quod tribuit omni spiritui creato.

Eam sententiam, (sub numero tertio expositam,) qua Faustus asserit ea quæ nos invisibilia dicimus, Deo visibilia esse et comprehensibilia et corporea, Claudianus durissime reprehendit, quasi adversarius sibi contradicat, et asserat spiritus creatos corporeos esse simul et incorporeos (1). Æquum est tamen, in iis quæ Faustus dicit, vera quædam a falsis discernere.

(1) Cf. lib III, cap. xII (x apud Migne); lib. I, cap. xI.

Verum est enim ea quæ sensus nostros et oculorum aciem fallunt, nuda tamen esse et aperta Deo. Spiritus præterea creati a quibusdam catholicis scriptoribus dicti sunt corporei esse, si cum Deo conferantur : scilicet, non e materia facti, sed a divina simplicitate recedentes, eo quod in eis, ut alia Scholasticorum placita omittam, vel ipsa idearum acquisitione, et ipsa in exsistendo successione, aliquid compositum inveniatur (1). Non recte vero hic aliud fingit Faustus, scilicet res creatas non esse auctori suo visibiles, nisi constent mole corporea.

Si quis attente legit ea quæ retuli sub numero quinto, scilicet Faustum animam localem et extensam credidisse, quia non ubique præsens est, vidit profecto eum maximo quodam errore deceptum fuisse. Non enim discernere valuit quid intersit inter simplicitatem, qua spiritus creatus non habet partes diversas dispositas in diversis spatii partibus, et immensitatem, qua divina substantia in omnibus simul spatii partibus præsens est. Hinc semper ita ratiocinatur, quasi anima debeat, si spatium nullum occupet, eo ipso in spatiis omnibus adesse. Quo posito, satis facile quidem ostendit animam nostram non ubique esse præsentem, nec res longe remotas de quibus cogitat ibi videre ubi re

(1) S. Thomas hæc sibi objicit : « Damascenus dicit in libro II *Orthodoxæ Fidei*, non longe a principio, quod : Angelus incorporeus et immaterialis dicitur quantum ad nos; sed comparatus ad Deum, corporeus et materialis invenitur... » Quæ sic solvit : « Ad 1um ergo dicendum quod substantiæ incorporeæ medium sunt inter Deum et creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad unum extremum videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido videtur frigidum ; et hac ratione dicitur quod Angeli Deo comparati sunt materiales et corporei, non quod in eis sit aliquid de natura corporea. » — S. Thom., 1a p., quæst. L. art. I, 1.

vera sunt, sed semper intra corporis limites substantia sua contineri. « Nam quando absentem carum suum cogitat, numquid jam, velut ipso conspecto, desiderio satisfecit? Aut cum, verbi gratia, Petri aut Pauli speciem intra mentis arcana depingit, numquid statim intimas paradisi sedes, ubi eos esse novimus, penetravit (1)?.... » His argumentis facile respondetur id non requiri, si anima incorporea est, ut etiam extra corpus humanum præsens adsit, verum ut, dum in ipso corpore manet et operatur, non tamen per sui partes in varias partes corporis extendatur. Ipsi tamen, in corpore licet manenti, vis prorsus non corporea conceditur, qua res maxime ab oculis et a locali præsentia remotas, intellectu potest conspicere.

His non perpensis, docet Faustus animam spatio vere contineri, quia quando sibi aliquid imaginatur, « magis cum suis intra semetipsam motibus occupatur », et illud quod videtur adspicere, ei tantummodo « in cordationis speculo (2) » describitur. Fingit Faustus et aliam hypothesim, eam vero, ut omnia quæ in hac epistola scribit, maxime materialem. Anima fortasse, vel ipsa cogitatio, extra corpus ad ea discurrit quæ videt intellectu : tunc vero et hoc localiter agit, scilicet non est ubique præsens, sed ab uno transit ad aliud, et ibi tantum est, ubi res est de qua cogitat. De hac hypothesi iterum dicendum erit, cum Claudiani responsa referemus.

Ex his patet quam necessarium esset, ad Fausti libellum refellendum, funditus discutere et exponere

(1) Apud Claudianum D. Engelbrecht, 11, 12.
(2) Apud Claudianum D. Engelbrecht, 11, 10.

quo sensu anima dici possit esse in loco, vel loco non contineri.

Præterea, cum innuat Faustus animam ideo esse corpoream, quia « initio, ut ait, circumscribitur, » adductus est Claudianus ad multa disserenda de statu animæ in tempore.

Nec minus, propter locum *Sapientiæ* quem Faustus retulerat, disserendum habuit de numero, pondere et mensura.

Hæc igitur de Fausti libello dicenda fuerunt, quo melius intelligatur quænam argumenta Claudiano fuerint proponenda, quibus errores in eo diffusos refelleret. Permulta enim, vel falsa, vel obscura, quæ Faustus paucis paginis congesserat, non poterat nisi longo rationum circuitu ex ordine exponere, et aliquo veritatis splendore collustrare.

§ IV. — SCRIBIT CLAUDIANUS AD FAUSTUM CONFUTANDUM.

Epistola Fausti, (quicumque ille sit ad quem fuerit scripta,) a multis certe lecta est, nec sine admiratione. Inde commotæ quorumdam mentes : multæ circa illud opus fabulationes et disputationes. Hunc enim libellum dicit Claudianus « usquequaque proquiritatum, toto agmine sui in acie eductum (1) ». Legit igitur Mamertus et, tum impellentibus amicis, tum proprio ingenio adstimulante, libros composuit *de*

(1) *Præfatio ad Sidonium*, 19, 7 ; 698 C.

Statu Animæ, scilicet de animæ natura, et de ratione qua ea in loco et tempore exsistat (1). Quod opus, ut verisimile est, exaravit tum ut amicis legeret, tum, cum sæpe a multis consuleretur, ut haberet ad manum unde responsa quærentibus desumeret.

Verum Sidonius Fausti libellum et Claudiani sui scripta pervolvit. Hic, cum libello illi errores videret admixtos, et eos utile putaret publice confutari, cum ex altera parte amici scripta videret optima esse ad veritatem docendam, et digna quæ ab omnibus philosophiæ studiosis legerentur, Claudianum rogavit ut ea ederet et in publicum proferret. Viro potenti et sibi amicissimo id negare noluit Claudianus, et libros *de Statu Animæ* edidit, quos dicavit : « Præfectorio Patricio, doctissimo et optimo viro, Sollio Sidonio. » Hæc ipsa dedicatio ostendit quo tempore libri editi fuerint : scilicet cum Sidonius, jam expleta præfectura, nondum episcopus esset. Amicus autem Claudiani panegyricum dixit Anthemio Imperatori Calendis Januariis anno 468, et Præfectus Urbis tunc creatus est. Ex alia vero parte, anno 471 factus est episcopus. Manent igitur inter expletam præfecturam et episcopatum duo anni, 469 et 470. Cum præterea aliunde videamus opus Claudiani fuisse Sidonio dicatum non multo ante hujus episcopatum (2), putandum est illud editum fuisse anno 470.

(1) Gennadius, cap. LXXXIII, *statum* animæ interpretatur *substantiam*. Videtur tamen Claudianus hoc titulo intellexisse non modo naturam animæ, sed id quod vulgo dicunt *statum* ejus, rationem qua exsistit, et relationem quam habet ad cetera quæ sunt. — D. Schulze germanice dicit « *das Wesen der Seele* ».

(2) Hoc videmus ex epistola qua Claudianus queritur de Sidonii silentio ; in ea jam Sidonius « papa » appellatur.

Ceterum, in hac disputatione, Fausti nomen omnino tacetur. Narrat enim Claudianus se in librum sine auctore incidisse. « Percontor, inquit, de nomine : nec responso, nec scripto proditur (1). » Ipse Sidonius amici sui adversarium, non aliter appellat quam « eum quem contra loquitur » liber tuus (2). Potuitne tamen, cum res satis publica esset, uterque ignorare Faustum hanc epistolam scripsisse? Mirum re vera id videtur. Libentius crederem scriptoris nomen et Claudiano et Sidonio fuisse notum, sed eos ignorantiam simulasse. Opus enim carpere volebant, et quidem acriter : auctorem vero, Sidonio familiariter notum, jam episcopum cum libri *de Statu Animæ* ederentur, magnis virtutibus commendatum, palam reprehendere verebantur. Multo facilius et decentius erat eum ut ignotum duris sæpe verbis corripere, quam in virum pium et amicum palam invehi. Nec visus est Faustus illatam sibi offensionem animadvertere, sed cum deinceps occulte sibi a Sidonio caveret, publice ipsius amicitia ut antea usus est. Mihi saltem videtur hæc occulta proditio, hæc ficta ex utraque parte ignorantia, omnino congruere cum iis quæ novimus de amicitia qua Sidonius et Faustus conjuncti erant. Fuerunt enim verbis concordissimi, laudibus magnifici, rebus vero et factis parum alter alteri confidentes (3).

(1) Lib. I, cap. II, 24, 16; 700 D.

(2) S. Sidon., lib. IV, *Ep*. III, — post opera Claudiani, t. LIII, 782 C.

(3) Qualis fuerit Sidonii et Fausti amicitia hæc historiuncula satis lepide ostendit. Aliquot annis post editos libros *de Statu Animæ*, Faustus duos libellos composuit (libros fortasse *de Gratia Dei et libero Arbitrio*), quos ipsi placuit per Riochatum, monachum et antistitem, ad Britannos concives suos mittere. Porro Reiensis præsul, jam sibi bene cautus, jussit Riochatum hoc opus asservare Britannis, et interea nemini in Aquitania ostendere. Riochatus ille, cum iter faceret, hos-

Inter Sidonium et Claudianum firmæ amicitiæ. Nec tamen, post acceptos Viennensis sacerdotis libellos, statim rescribere Sidonius properavit. Etenim, suscepto nuper episcopatu, se totum tradiderat huic novo muneri, quod sanctissime ad mortem usque exercuit. De amici tamen silentio questus est Claudianus epistola brevi, quam Sidonius inter suas inseruit et edidit (1). His querelis mox respondit Arvernorum præsul. Post-

pitio apud Sidonium exceptus est, et apud eum mansit duobus mensibus, propter bella quæ tunc erant ; et, quamvis sæpe de Fausto loqueretur, de libris sibi commissis omnino tacuit. Ubi vero profectus est, jam se periculo et censuræ præsulis Arverni elapsum putans, quibusdam viatoribus, quibus obviam factus est, rem aperuit : qui postquam in urbem venerunt, indicarunt episcopo. Ille, libros legendi percupidus, statim Riochatum abeuntem insectatur, et, ut ipse se excusans ad Faustum scribit : « Pernicibus equis insecutus abeuntem, qui facile possent itineris pridiani spatia prævertere, osculo in fauces occupati latronis insilui, humano joco, gestu ferino ; velut si, excussura quemcumque catulorum, Parthi collo raptoris pede volatico tigris orbata superemicet. Quid multa ? capti hospitis genua complector, jumenta sisto, frena ligo, sarcinas solvo, quæsitum volumen invenio, produco, lectito, excerpo, maxima ex magnis capita defrustans. Tribuit et quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas copiosa compendium, qui comprehendebant signis, quod non tenebant... Spoliis onustum caritatis et spiritualis compotem prædæ, me domum retuli. Quæris nunc quid de manubiis meis judicem ? Nollem adhuc prodere, quo diuturnius exspectatione penderes : plus me enim ulciscerer, si quod sensi tacerem... Accipe quid super scriptis tuis et injuriam passi censeamus. Legimus opus operosissimum, multiplex, acre, sublime... Scripseras autem plurima ardenter, plura pompose ; simpliciter ista, nec argute illa, nec callide ; gravia mature, profonda sollicite, dubia constanter, argumentosa disputatorie, quædam severe, quæpiam blande, cuncta moraliter, lecte, potenter, eloquentissime.... » Hic præterea dicit Sidonius de matrimonio illo Fausti cum philosophia ea quæ supra audivimus. Hæc lepida sunt lectu, ubi quis legens meminit quam sæpe et acriter summam in philosophando imperitiam Fausto exprobret Claudianus, instigante eodem Sidonio. Ceterum hæc Sidonii *Epist.* IX libri IX dignissima est quæ tota legatur. Eam refert D. Baret ad annum 473-4. — Migne, t. LVIII, 622.

(1) Lib. IV, *Ep.* II. Sic Plinium imitabatur, qui epistolam Taciti suis inseruit. Notum est enim S. Sidonium suis novem libris *Epistolarum* imitatum esse novem libros quos Plinius ediderat.

quam se, ut potuit, excusavit, libros *de Statu Animæ* ornat amplissimis laudibus, ut solebat, immo amplioribus quam solebat : « At, exclamat, quod, Deus magne ! quantumque opus illud est, materia clausum, declamatione conspicuum, propositione obstructum, disputatione reseratum, et, quanquam propter hamata syllogismorum puncta tribulosum, vernantis tamen eloquii flore mellitum. Nova ibi verba, quia vetusta : quibusque collatus merito etiam antiquarum litterarum stilus antiquaretur : quodque pretiosius, tota illa dictio sic cæsuratim succincta quod profluens : quam rebus amplam, strictamque sententiis, sentias plus docere quam dicere. Denique et quondam, nec injuria, hæc principalis facundia computabatur, cui paucis multa cohibenti curæ fuit causam potius implere quam paginam : at vero in libris tuis jam illud quale est, quod et teneritudinem quanquam (1) continuata maturitas admittit, interseritque tempestivam censura dulcedinem, ut lectoris intentionem, per eventilata disciplinarum philosophiæ membra lassatam, repente voluptuosis excessibus quasi quibusdam pelagi sui portubus foveat. O liber multifariam pollens ! O eloquium non exilis, sed subtilis ingenii ! quod nec per scaturigines hyperbolicas intumescit, nec per tapinomata depressa tenuatur. Ad hoc unica singularisque doctrina, et in diversarum rerum assertione monstrabilis, cui moris est de singulis artibus cum singulis artificibus philosophari, quæque, si fors exigit, tenere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æsculapio

(1) Sic apud Migne et apud D. Baret, quem sequitur D. Engelbrecht. Melior esset sensus si legi posset : « Teneritudinem *quamdam* continuata maturitas admittit. »

baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruvio perpendiculum ; quæque nunquam investigare destiterit cum Thalete tempora, cum Atlante sidera, cum Zeto pondera, cum Chrysippo numeros, cum Euclide mensuras. Ad extremum, nemo seculo meo, quæ voluit, affirmare sic valuit. Siquidem, dum se adversus eum quem contra loquitur, exsertat, morum ac studiorum linguæ utriusque symbolam jure sibi vindicat (1). »

Plura referre supersedeo, quamvis lectu jucunda sit enumeratio præclarorum virorum, quibus deinde Sidonius amicum suum comparat (2). Ceterum quisque videt laudes tantas longe excedere veritatem. Sat recte quidem videt Arvernorum episcopus quas dotes Claudianus sibi proprias habeat : at eas supra modum extollit, et oratoria ubertate, — narrat enim Sidonius se hoc ipso tempore colere eloquentiam, — auget et extollit.

Restat ut paucis exponamus quo ordine procedat in opere suo Claudianus, quo etiam ordine nos ipsi, in ejus doctrina exponenda, utamur necesse sit.

Tres sunt libri *de Statu Animæ*. In primo, auctor in id potissimum incumbit ut variis ratiociniis demonstret animam non esse corpoream : quod ut firmius probet, non pauca addit de loco et de motu, et exempla adhibet e mathematica desumpta. In secundo, postquam de numero, pondere et mensura dis-

(1) S. Sidonii lib. IV, *Epist.* III, apud D. Engelb., 200, 19 ; Migne, t. LIII, 781 D. Hanc epistolam D. Baret refert ad annum 472.

(2) Amat S. Sidonius, ubi virum aliquem laudandum suscepit, eum cum multis aliis, iisque fama celebratissimis, comparare. — Cf. *Panegyr. Majoriano dictum*, col. 672 A et 674 C (Apud Migne, t. LVIII) et alibi passim.

seruit, plurimus est in probando animam diversam esse a materia, ex auctoritate scriptorum et philosophorum tum profanorum, tum catholicorum. In tertio, adjectis aliquibus argumentis, versatur potissimum circa confutationem adversarii et maxime circa exempla quæ ille e sacra historia protulerat (1).

Ceterum, Claudianus, sive probationes affert, sive adversarium insectatur, latius sæpe vel in via vel extra viam spatiatur; sæpe etiam ab incepto argumento digreditur, ut postea revertatur ad propositum. Ubi aliquid menti ejus occurrit, quod adversus Faustum dicat, illud statim profert, non satis habita methodi ratione.

Nobis igitur, ut doctrinam ejus de anima hominis notam faciamus, opportunum videtur non inhærere ordini illi quem ipse sequitur. Primum igitur ea argumenta exponemus et expendemus, quibus confirmat animam non esse corpoream; mox eodem modo evolvemus ea quæ sensit scriptor tum de motu, spatio et tempore, tum de numero, pondere et mensura et de *relatione*, si fas sit scholastice loqui, quam ea habent ad animam; deinde ea referemus quæ Claudianus opinatus est de animæ viribus et actibus. In posterioribus vero capitibus, doctrinam de anima in prioribus expositam nova luce illustrabimus, comparatione instituta cum doctrinis aliorum philosophorum, tum veterum, quos Claudianus legit et imitatus est, tum eorum qui post ipsum vixerunt et opiniones similes opinionibus ejus protulerunt.

(1) In præfatione sua Claudianus ipse breviter dicit de ordine ac methodo operis sui.

CAPUT III.

QUIBUS ARGUMENTIS CLAUDIANUS DEMONSTRET ANIMAM NON ESSE CORPUS.

Argumenta quibus demonstrat animam hominis a corpore esse diversam, per tres libros operis sui, dum cum Fausto dimicat, pro data occasione magis quam certo quodam ordine ac methodo, Claudianus proponit. Hinc sub finem libri tertii (1), ipse confitetur utile sibi videri ea quæ per totum volumen sparsa sunt in unam paginam cogere : sic ipse decem probationes brevissime colligit, cum tamen plures ex ejus libris excerpi possint. Nos igitur rectius esse arbitramur ex toto opere *de Statu Animæ* omnia desumere argumenta quibus scriptor usus est, et ea ad sex veluti fontes referre, e quibus hauriuntur. Probat enim Claudianus animam incorpoream esse :

1. — Eo quod aliquid incorporeum creari decuerit;

2. — Eo quod videamus duo rerum genera exsistere, inter se valde diversa, nempe corpora et spiritus,

(1) Libr. III, cap. xvi (apud Migne, cap. xiv).

et animam nostram videamus ad genus spirituum pertinere ;

3. — Eo quod viribus et actibus suis anima multis modis prodat se non esse corpoream ;

4. — Eo quod anima nostra loco non contineatur;

5. — Eo quod ex fide ac theologia animam noscamus a corpore esse diversam ;

6. — Eo quod præclarissimorum scriptorum auctoritas huic veritati suffragetur.

Ex his fontibus probationes multas et varias perite detorquet Claudianus (1).

Unum hic adnotare juvat. Demonstrare non vult Mamertus animam esse spiritualem, scilicet minime pendere a materia, sed eam esse simplicem, scilicet non corpoream. Quædam igitur argumenta ejus e viribus non spiritualibus, sed sensibilibus desumuntur, et referuntur non modo ad animam hominis, verum ad animas quas auctor noster, ut multi alii, brutis animalibus inesse opinatur.

§ I. — ARGUMENTORUM FONS PRIMUS. DECUIT ALIQUID INCORPOREUM CREARI (2).

Argumentum primum. — Decuit creari animas incorporeas. — Hoc principio innititur Claudianus, a Deo scilicet mundum optimum creatum esse et optime

(1) Cf. D. Schulze, § 6 : *Darstellung von Faustus' und Claudians Lehre*, imprimis p. 65 *et seq*.

(2) Cf. lib. I, cap. IV et V.

dispositum. Deus porro, ait Claudianus, « semiplena benignitate usus esset, si semiplenum aliquid condidisset. Mirum autem videtur supplemento rerum defore aliquid, si rosæ flosculus non exsisteret, et non defore si incorporea substantia non esset creata. Ne ergo non minimum aliquid, sed vel potissimum deforet creaturæ plenitudini, debuit incorporea quoque substantia creari (1). »

Nihil est porro quod Deum impedire potuerit quin talem substantiam crearet : non enim talis substantia Deo æqualis est, sed similis. Ad rerum ordinem perficiendum, inter Deum, summum scilicet bonum, et corpus, quod aliquod bonum est, substantia spiritualis ut magnum bonum constituitur (2).

Hac ratione impugnatur Fausti sententia dicentis nihil incorporeum potuisse creari. Immo, respondet Claudianus, decuit creari aliquid incorporeum, et decet ut incorporea sit anima nostra quæ corpori conjuncta, in ipso confinio mundi visibilis sita est, ad ipsum exornandum et perficiendum.

§ II. — ARGUMENTORUM FONS SECUNDUS. SPIRITUS A CORPORIBUS OMNINO DISTINGUUNTUR, ET SPIRITUS EST ANIMA NOSTRA.

In hac parte pertractanda, Cartesio vicinus est

(1) Lib. I, cap. IV, 38, 4 ; 707 B. — Apud Migne : « *non* deforet » : negationem hic vitiose positam jure omisit D. Engelbrecht.

(2) *Summum bonum, magnum bonum, bonum aliquod,* verba sunt Claudiani, sæpe in opere ejus repetita.

scriptor noster : uterque enim eadem methodo utitur, atque eadem via procedit.

Cum nos ipsos et mundum attendimus, invenimus hinc mentem nostram quæ cogitat, illinc res visibiles quæ extra nos ponuntur. Interea dilucide et evidenter videmus alia recte menti nostræ attribui, alia rebus externis : menti cogitationem, rebus externis molem; menti voluntatem, virtutes, vitia : corporibus, pondus, colores, vel cetera id genus ; mentem esse unum quid et simplex conscientia teste novimus : corpora videmus in partes secari et discerpi. Ea vero quæ menti et ea quæ rebus quas videmus attribuimus, inter se non modo diversa sunt, verum et ita contraria, ut nullo modo possint utraque de una et eadem re affirmari et prædicari. Hinc summo jure pronuntiamus duplex esse genus rerum inter se omnino diversarum : unum genus, ad quod pertinet anima nostra, spirituum esse genus dicimus, alterum corporum.

Jam vero, quot qualitates invenire est, quæ omni et soli corpori conveniant, nulli vero spiritui, tot argumenta conficere est, ad ostendendum quid inter corpus nostrum et animam intersit.

Illud primo intuitu in corporibus videmus, quod dicebat Aristoteles τὸ πόσον, philosophi medii ævi quantitatem, recentiores extensionem, scilicet numerum aliquem, multitudinem quamdam partium, quæ partibus loci respondeant. « Vestigia vero numerorum in corporibus trifariam dignoscuntur. Loco enim primo, ut sit corpus maximum vel minimum... secundo, quot partibus constat... tertio, quot, juxta præfatam diversitatem partium, secari omne corpus in partes potest (1). » Quæ nullo pacto animam decent. Inde,

(1) Lib. II, cap. III, § 6, 110, 6 ; 741 A.

secundum divisionem quam hoc loco posuit, triplex argumentum evolvit auctor noster : non esse in anima molem ; non esse in anima partes ; animam in partes non dividi.

Argumentum secundum. — Non est in anima ut in corpore moles (1). — Fatendum est nihil commune esse inter animam et corpoream magnitudinem. Mole corpora magna dicuntur, virtute et scientia mentes ; plura corpora si conjunguntur, majorem molem efficiunt : animarum conjunctio molem nullam conficere valet ; viribus et pondere plura corpora uno corpore præstant : potest anima una multis aliis esse major intellectu, affectu, voluntate.

Si anima corpus esset, corpus scilicet subtilius in corpore continente inclusum, crescente corpore, cresceret et anima. Hoc autem nullo modo ita se habere permulta exempla ostendunt. Num semper homo, ut major, ita mente valentior est ? Num plus ingenii camelo, magnæ belluæ, quam apibus quæ

Ingentes animos angusto in pectore versant,

vel formicis,

Farris acervum
Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt (2).

Argumentum tertium. — Anima non partibus constat ut corpus (3). — In omni corpore mensuræ sunt et partes. Habet enim omne corpus longitudinem,

(1) Cf. lib. I, cap. XV, XIX, XX ; — lib. II, cap. III, et *alibi passim*.

(2) Virgil. *Georg.* IV, 23, — *Æn.* IV, 402-3. — Uterque locus refertur lib. II, cap. III, 108, 6, 109, 1 ; 740 B, C.

(3) Cf. lib. II, cap. III ; lib. III, cap. XVI (XIV apud Migne), §§ 9 et 10 ; *et alibi*.

latitudinem et altitudinem : partes habet, dextram nempe et sinistram, superiorem et inferiorem, anteriorem et posteriorem. Videmus porro has partes ita ad naturam rei corporeæ pertinere, ut corpori omni et soli conveniant.

At vero mensuras illas et partes animæ tribuere ridiculum esset, et contrarium tum evidentiæ nobis velut innatæ, tum reliquis probationibus quibus quantitas corporea ab anima removetur (1).

Anima igitur a corporum genere prorsus removenda est (2).

Argumentum quartum. — Aliter ostenditur animam partibus non constare (3). — Nullum corpus totum simul aut tangit aliquod objectum, aut ab objecto attingitur : sed tum partes rei tangit, tum partibus sui tangitur. Anima e contrario ab objecto tota simul attingitur, quia tota simul sensu afficitur vel cogitatione ; tota simul attingit objectum, nam novimus animam nostram totam simul circa rem quam sentit vel cogitat operari.

« Quodlibet corpus, inquit Claudianus, etiamsi clausum manu in exterioribus suis per totum tangatur, in interioribus certe non tangitur. Hinc patet omne corpus totum simul tangi non posse ; nec uno in loco esse quamlibet minimum totum posse : ut puta granum papaveris, aut quotalibet pars grani ipsius : quod illic non habet inferiora sua ubi superiora, nec illic dextra

(1) Cf. sequens argumentum et ea quæ dicit Claudianus de modo quo anima inest corpori, cap. IV hujus theseos.

(2) Cf. idem argumentum apud S. Augustinum, *de Quant. Anim.*, cap. IV. Multa id genus invenire est apud Cartesium.

(3) Cf. lib. I, cap. XVIII, et cap. XXI, § 5, — lib. III, cap. V, § 2, et cap. XVI (XIV apud Migne), § 6.

ubi sinistra, nec anteriora illic ubi posteriora, certum est. Anima vero et tota per corpus videt, et tota visorum recolit, et tota audit, et tota sonorum reminiscitur, et tota odoratur, et tota odorum meminit, et tota per linguam, atque, ut volunt alii, per palatum, sapores sentit eosdemque discernit, et tota tangit lenia quæque et aspera : tota probat atque improbat (1). »

Argumentum quintum.—Anima nequit ut corpus in partes dividi (2). — Si corpus et anima inter se differunt, quia anima non partibus constat, ut corpus, liquido sequitur ea inter se differre eo quod nequeat anima, corporis modo, in partes dividi. Animam porro non posse dividi nec discerpi satis perspicuum est.

Unde Claudianus sic ratiocinatur : « ... Secari omne corpus in partes potest : quarum item pars quælibet..... et unum corpus erit, et totidem partibus constabit, et perinde in partes secari poterit (3). Modo tu videris utrumnam, cum cujuslibet animantis una sit anima, dividi hæc eadem possit, ut iterum quotalibet pars animæ anima sit, sicut quotalibet pars corporis corpus est. Quod quia sanorum neminem reor posse dicere, terendum tempus non est in earum discussione causarum, quæ suapte natura tam claræ sunt ut obscurari potius disputatione videantur (4). »

Argumentum sextum. — De corpore et anima permulta sunt quæ dicantur eadem, sensu tamen

(1) Lib. I, c. XVIII, § 3, 67, 16 ; 721 A.

(2) Cf. lib. II, cap. III, § 6, *et alibi passim.*

(3) Ex hoc loco apparet Claudianum admisisse, more Peripateticorum, materiam in infinitum dividi posse.

(4) Lib. II, cap. III, § 6, 110, 12 ; 741 B.

valde diverso (1). — Videmus præterea animam et corpus ad duo rerum genera valde diversa referri, eo quod permulta sint quæ attribuamus tum animæ, tum corpori, vi cujusdam analogiæ, sensu tamen valde diverso. Sic dicimus corpus magnum et capax esse longitudine et latitudine et altitudine, animam vero doctrina et sapientia ; corpus pondere ferri, animam amore ; corpus de loco hoc in alium moveri, moveri animam ira vel odio. Est et alter modus sentiendi per corpus, alter per animam. « Visus [animæ] clarescit prudentia, tenebrescit insipientia. Auditus illius fallacia offenditur, veritate mulcetur. Illocaliter illic fraglat (2) æquitas, fœtet iniquitas ; vanitate tabescit, virtute pinguescit (3)... »

Ex his exemplis quidnam aliud confirmatur, nisi corporis naturam ab animæ natura prorsus differre, cum ea quæ uni conveniunt non attribuantur alteri nisi vi cujusdam comparationis, et sensu, ut aiunt, translato?

Argumentum septimum. — Anima ex nullo elemento constat (4). — Doctrina qua innititur hoc argumentum, satis nota est : veteres enim omne genus cor-

(1) Cf. Lib. I, cap. XXI, § 5 et cap. XXIII,. — lib. II, cap. V et VII.

(2) D. Engelbrecht sic scribit : *fraglat*, et in suis *Disquisitionibus de lingua Claudiani*, p. 92, exponit qua ratione distinguat : flagrare, fraglare, fragrare.

(3) Lib. I, cap. XXI, § 5, 76, 19 ; 725 C. — Sensus per animam simul et corpus opera sua exercent : hinc multæ sensuum vires viribus solius materiæ præstant, et a sensibus exempla recte desumuntur, ut ostendatur esse in nobis animam non corpoream. Ex alia parte, cum sensus non operentur nisi per corpus, quandoque, ut hoc loco, eorum actus opponuntur actibus animæ. Est enim animæ ipsius vita præstans vita sensibili.

(4) Cf. lib. I, cap. VII, VIII, IX.

porum revocabant ad quatuor elementa, ita ut corpus quodlibet aut esset unum e quatuor elementis, aut esset ex aliquot elementis quadam mixtione confectum. Præterea, inter varia elementa ordo quidam dignitatis instituebatur : ceteris præstabat ignis, omnium infima terra erat.

Quibus præsuppositis, Claudianus sic adversarium urget : Si anima corpus est, aut est ex elementis composita, aut est aliquod ex elementis. Animam autem ex variis elementis confici, ne Fautus quidem dicere ausus erat : verebatur enim ne sic ab anima immortalitatem removeret : quod enim e pluribus elementis conficitur, potest et resolvi in plura. Dixerat autem, auctore Cassiano, animam non aliud esse quam « aerem quemdam subtilem ». Quam sententiam non sine ira refellit Claudianus : debuerat enim saltem anima ignea supponi, cum ignis elementum omnium nobilissimum sit. Ope ignis oculus noster et oculi animantium munus videndi exercent : dicetne adversarius visum pecudis, igneum scilicet, anima hominis, utpote aeria, præstare ! Rectius fateatur non esse mentem nostram ex hoc aere, qui sole et lumine corporeo clarescit, eam vero esse præstantiorem quamdam substantiam, quæ veritatis splendore et divino quodam lumine illustretur (1).

Illis rationibus probat Claudianus animam et corpus ad duo rerum genera prorsus diversa pertinere.

(1) Animam non esse aerem jam monstraverat Augustinus, *de Quant. Anim.*, cap. IV.

§ III. — ARGUMENTORUM FONS TERTIUS. VIRIBUS ET ACTIBUS SUIS OSTENDIT ANIMA NOSTRA SE NON ESSE CORPUS.

En tertium argumentorum fontem, ad quem scriptor noster accessit. Eæ sunt animæ vires quæ nulla ratione materiæ attribui possint : et, quoniam ex viribus et actibus recte judicare licet qualis sit ipsa quæ agit substantia, ex viribus et actibus quibus anima materiam omnem excedit, recte judicabimus animam ipsam corpoream non esse (1).

Argumentum octavum. — Ea vis animæ, quæ cogitatio dicitur, omnes materiæ vires excedit (2). — Anima hominis non modo dat corpori eam vitam qua nutritur, movetur vel alia corpora sensu percipit (3); verum etiam anima apud se vivit altera vita, altiore, secretiore, remotiore, vita nempe intellectuali. Est vero intellectus velut animæ oculus quidam interior, quo multa perspiciuntur quæ corporis oculos fallunt, quo res ipsæ corporeæ aliter perspiciuntur quam ab oculo corporeo. Oculus ipse corporis nihil videt, nisi

(1) Huc igitur refero argumenta Claudiani, desumpta ex iis actibus animæ, qui nullo modo a corpore dependent. Argumentatus est etiam Claudianus ex actu sentiendi, quem anima per corpus exercet. — Cf. Argum. quartum.

(2) Cf. lib. I, cap. XXIII et XXV; lib. III, cap. XI (apud Migne cap. IX), et cap. XVI (apud Migne XIV) § 3.

(3) Etenim, in doctrina Claudiani, principium vitæ non est diversum ab ipsa anima.

sensum ab anima accipiat : oculus animæ, ubi per se supra corpoream vitam attollitur, longius videt et altius quam oculus corporis.

« A sensibus quæso corporis paulisper attollere, ait Fausto Claudianus, ac si vales perspice quæ vel quanta vis videndi sit animo ; et, si quid potes, animi visum corporisque discerne... Animus corporea per corpus videt, incorporea per se. Hæc ipsa nunc... sequestremus, ut quæ sint animi visa per corpus, quæ sine corpore, evidenter appareat (1). »

Res quæ nos circumstant aliter corpore, aliter intellectu videntur : videntur enim intellectu modo non corporeo, vel, ut clarius loquamur, corpore videntur, mente intelliguntur. Exemplum sumit scriptor noster figuras geometricas. Videt oculus corporis lineam aliquam graphio in tabula descriptam, ita scilicet ut non modo longa sit, verum et lata, et alta. Quid enim aliud oculus carneus videre potest, nisi ea quæ ipsum tangunt et afficiunt, figuram nempe rerum? At vero dum contemplatur hanc lineam oculus noster, et dum eam contemplatur talem, interea oculus animæ eamdem figuram altius inspicit et scrutatur : varia rerum adjuncta. quibus hæc linea tali prædita est longitudine, et tali latitudine, sejungit et semovet, et non jam hanc lineam speculatur, sed per se videt quid sit linea, non hæc, sed linea ipsa ; intelligit quid sit longitudo, non hujus lineæ, sed longitudo ipsa et simplex, remota latitudine et altitudine, et adjunctis omnibus. Unde hoc ? Corporea linea nihil corporeo oculo præbet nisi corpoream lineam, quæ et longa est et

(1) Lib. I, cap. xxv, § 1, 87, 18 ; 730 D.

alta et lata : unde solam longitudinem cogitamus? Corporea linea una quædam oculo corporeo cernitur : unde ita apprehendimus quid sit ipsa linea, ut idea hæc quam effinximus omni lineæ conveniat? Est scilicet animæ visus quidam suus, quo res apprehendimus ratione non corporea, sed spirituali, res scilicet non concretas, ut aiunt, sed abstractas, res non singulares, sed naturas ipsas rerum, ita ut de multis id quod cogitamus prædicari possit.

Postquam etenim rerum naturas intellectus perspexit, eas altius scrutatur : plures ideas inter se confert, et, collatione facta, quid unicuique rei conveniat videt et discernit : sententias demum profert, easque sententias quæ semper veræ sint, omnibus in locis et omni tempore : non jam hunc mundum corporeum speculatur, in quo fluunt omnia et moventur, sed ipsam veritatem stabilem et æternam contemplatur. In hoc æterno ac veluti divino rerum ordine, permulta intuetur carneis oculis numquam visa : quid sit substantia spiritualis, quid Deus ipse, quænam officia res creatas cum Creatore conjungant, quid sit ipsa veritas, quid bonitas, quid justitia. Quæ omnia quanam ratione corporis oculus perspiceret? « Hic si purgata mentis intendas acie, subrutilare tibi jam debet quid sit anima... Videsne, vel de his quæ conspicatur anima, quid sit visus animi ?... Animadvertisne etiam quid intersit inter illas formas quas corpore cernimus et istas quas mente conspicimus? Istas esse sempiternum mundum cujus hic mundus imago sit (1)... Per [visum corporis] cum bellua humanus quoque animus nota ab ignotis,

(1) Lib. I, cap. xxv, § 4, 91, 8; 732 C. D.

alba ab atris corpora secernit. Huccine tenus est humani visus animi? Quo igitur justa ab injustis, a falsis vera dijudicat? An forsan vecordes, oculati corporaliter, judicio credentur cæcos anteire sapientes? Sed vel Appium de Romano senatu, vel Hermophilum de Græco gymnasio, vel Tobiam de prophetarum numero super ambiguo præsenti testes habeamus : quorum vel Appius eis qui exterius clarerent oculis, et interius cæcutirent, consilii lumen præbuit ; vel Hermophilus Theopompum geometricam sine radio docuit; vel Tobias filio, dum cæli iter prævius pandit, angelum comitem dedit. Videt igitur animus absque corpore, nec corpulentum aliquid aut coloratum, aut per loca distentum, sed ipsam veritatem (quæ summe incorporea Deus est), incorporeo contemplatur obtutu. Patet, ut arbitror, animum et per se incorporea et per corpus videre corporea (1). »

Hoc ratiocinium, quo tribus in capitibus, variis locis librorum suorum, utitur Claudianus, ex ordine placuit referre et evolvere. Jucundum præterea et utile videtur illud addere exemplum quo doctrinam suam confirmat scriptor noster. Intenderat enim mentem in hoc quod sæpe evenit, cogitationem nempe nostram a rebus quæ nos circumstant distrahi ac velut avolare : quod cum philosophica ratione scrutatus esset, recte conclusit animam nostram vita quadam vivere sibi propria, quæ sensuum et corporis vitam superet, et ab ea aliquibus actibus suis possit velut

(1) Lib. III, cap. xi, 173, 18; cap. ix, § 2, 770 A. — Idem fere argumentum recenset Claudianus in suo argumentorum compendio, lib. III, cap. xvi, § 3. « Ratiocinatur anima rationalis, et substantialiter inest animæ ratiocinari, et ratio incorporalis atque illocalis est : igitur incorporalis est anima. »

separari. Anima, inquit, « etiam dum corpus administrat atque sentificat, si quando in summa eademque semper attollitur, ita quodam modo corporeos deserit sensus ab hisdemque illocaliter abscedit, ut coram posita non videat, ut juxta sonantia non audiat, ut percursam legendo paginam non intelligat. Adest anima ut per oculum litterarum signa colligat, eademque in syllabas sociata conjungat ac per verba distinguat : et non adest ut quid per hæc fecerit sciat. Lego clare aliquid, pronuntiantem me alter intelligit, qui in id mentis oculum figit; ego vero ipse quid legerim nescio, quia in aliud anima illocaliter intenta discessit. Denique cum ad memetipsum vel admonitus redeo, ego ipse sum qui utique redeo, et ego ipse sum ad quem redeo. Et mecum non fui, quia ad me per intervallum non loci, sed temporis, redii. Et extra me non fui, quia sine me esse non potui. Ipsa istic est anima, ut per oculum quæ leguntur videat; et ipsa istic non est, ut quæ leguntur intelligat.... Et tamen rursum in id quod intellectum non erat animi referentes obtutum, absque ulla hoc idem difficultate comprehendimus (1). »

Argumentum nonum. — Intellectus in se ipsum reflectit et ad Deum elevari potest (2). — Præter hanc, ut ita dicam, analysim intellectus humani, quædam addit Claudianus ad eamdem doctrinam confirmandam. Innuit enim intellectum a materia diversum recte judicari, eo quod in se ipsum redire possit, et hac reflexione se ipsum cognoscere; quod immo ad Deum

(1) Lib. I, cap. XXIII, 82, 24 ; 728 C.
(2) Cf. iisdem locis et lib. I, cap. XXVI, et *passim*.

ipsum videndum elevari possit; quod etiam fortasse in hac vita Deum confuse quodam modo percipiat.

Argumentum decimum.—Voluntas est vis prorsus incorporea (1). — Adsunt et animæ nostræ, præter intellectum vel rationem, vires aliæ quibus a corpore diversa esse ostenditur, voluntas nempe et memoria. Quis enim voluntatem putet esse aliquid corporeum, cum minime regatur, more corporum, legibus quibusdam certis et nunquam mutandis, verum ipsa de se libere disponat; cum etiam possit supra omne quod corporeum est attolli, et, spretis rebus infimis, in id quod sibi superius est, scilicet in ipsum Deum, « cælesti caritate flagrare (2) »? Jure ergo concludit Claudianus animam ipsam, quæ voluntas est, esse incorpoream.

Argumentum undecimum.—Memoria vires materiæ exsuperat (3). — Quanquam recordationis nostræ organum aliquod materiale est condicio necessaria, et nullius rei meminisse videtur intellectus noster, nisi ope alicujus corporeæ imaginis; nequit tamen hæc tam mira vis animæ nostræ materiæ soli attribui. Id pluries ostendit sanctus Augustinus (4) et bonis post ipsum rationibus Claudianus confirmat :

« Memoria, inquit, illocalis quædam capacitas est, quæ nec multitudine recordabilium distenditur, nec paucitate tenuatur, et incorporaliter etiam corporalium

(1) Cf. lib. I, cap. XXIV; — lib. III, cap. XVI (apud. Migne XIV), § 4.
(2) Lib. I, cap. XXIV, § 2, 87, 6; 730 C.
(3) Lib. I, cap. XXII, § 2; — lib. III, cap. XVI (apud Migne XIV), § 5, et *alibi passim*.
(4) Cf. inter cetera *de Quantit. Anim.*, cap. V. — *Confess.*, lib. X, cap. VIII *et seq.*

reminiscitur. Et cum meminit animus, totus meminit, et totus memoria est, qui meminit totus, et memoria corpus non est : non igitur corpus est animus (1). »

§ IV. — ARGUMENTORUM FONS QUARTUS. ANIMAM NOSTRAM LOCO NON CONTINERI.

Animam hominis loco non contineri multis et variis modis probat scriptor noster. Nobis quidem in animo est ea quæ dixit longius exponere et perpendere in capite in quo de loco, tempore et motu agemus. In præsenti vero, satis sit breviter oculis subjicere quænam argumenta ex hoc fonte Claudianus colligat. Hæc porro ad duo referri possunt : animam non implere locum, non moveri per locum.

Argumentum duodecimum. — Anima locum non implet (2). — Omne corpus spatium aliquod occupat, ita quidem ut parte sui partem spatii impleat. Anima autem non ita se habet, quæ ubi operatur, ibi tota est, nec per loci spatia distenditur. Ea igitur valde diversa est a corpore.

En iterum hoc argumento redimus ad comparationem inter corpoream et incorpoream naturam. Hic vero solummodo attenditur quo sensu utraque in loco esse dicatur. Quomodo sit corpus in loco, sat notum est. Ostendendum vero animam non ita locum

(1) Lib. III, cap. xvi, § 5, 186, 10 ; xiv, § 5, 775 D.

(2) Cf. lib. III, cap. xvi (apud Migne xiv), § 2 et 6, et *passim* per tres libros.

implere, ut partibus suis impleat loci partes : sed e contrario ita esse in corpore, ut tota toti corpori adsit, nec minus tota singulis corporis partibus.

Hoc porro variis argumentis probat Claudianus : unum in præsenti referre satis sit, quo sane movebitur quisquis putabit animam esse vitam ipsam corporis, ut opinabatur scriptor noster. Ille ergo sic ratiocinatur :

Vita ipsa corporis anima est. Eodem porro modo vita invenitur in corpore toto, quo in parte corporis, eodem modo in magna parte, quo in parva : etenim tam vivit pars minima corporis quam totum corpus. Ergo anima eodem modo invenitur et in toto corpore et in singulis ejus partibus.

Argumentum tertium decimum.—Anima per locum non movetur (1). — Quid intelligat Claudianus his verbis « moveri vel non moveri per locum », longius postea declarabitur. Nunc argumenta tantum refero :

« Corpus movetur per locum ; animus autem per eumdem non movetur : animus igitur non est corpus (2). »

« Corpus nec appropinquat Deo, nec recedit a Deo. Animus autem et proximat et longinquat illocaliter : igitur animus corpus non est (3). »

(1) Cf. lib. I, cap. xviii, xxi, xxii ; — lib. III, cap. viii et ix (apud Migne vii et viii), et cap. xvi (apud Migne xiv), §§ 7 et 8, et *passim* per tres libros.

(2) Lib. III. cap. xvi, § 8, 186, 26 ; cap. xiv, § 8, 776 A.

(3) Lib. III, cap. xvi, § 7, 186, 22 ; cap. xiv, § 7, 776 A. Alludit ad verba Pauli Apostoli, quæ exposuit, lib. I, cap. xxi et xxii : « Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino... Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. » II Cor. V, 6, 8.

§ V. — ARGUMENTORUM FONS QUINTUS. FIDE ET THEOLOGIA.

Claudianus, cum et philosophus esset et theologus, cum crederet et vera esse quæ fides docet, et certa quæ ratio demonstrat, philosophicis argumentis alia quædam theologica inseruit : quæ breviter referre utile erit, quo plenius Claudiani doctrina innotescat.

Argumentum quartum decimum. — Claudianus probat ex Scriptura sacra animam esse incorpoream (1). — Ostendit igitur Claudianus hanc suam de anima incorporea doctrinam cum iis quæ in sacris libris tum dicuntur, tum narrantur consentire. Ipse enim sibi suffragantem habet auctorem libri Sapientiæ : Faustus vero non aliter locutus est atque impii, qui et ipsi dixerunt animam aerem esse (2). Præterea sunt aliquot verba tum Jesu Christi, tum Pauli Apostoli, quibus anima a corpore omnino discernitur : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (3) ; » et : « Cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino... ... Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad

(1) Cf. lib. I, cap. v, xii, xiii, xiv, xxii ; — lib. II, cap. x, xi, xii, xiii ; — et lib. III, cap. viii.
(2) Sap. II.
(3) Matt. X, 28.

Dominum (1) » ; et alia. Narrat idem Paulus Apostolus se in tertium cælum raptum fuisse : « sive in corpore, inquit, sive extra corpus, nescio (2). » Anima igitur raptus est, qui nescit utrum secum corpus habuerit necne.

Præterea, ea quæ fides christiana tradit de resurrectione mortuorum omnino cohærent cum doctrina qua anima incorporea esse dicitur. Nam « sicut in hac vita animæ humanæ substantia incorporaliter dignitate sui anteit corpus animale : ita post resurrectionem remunerationemque anteibit corpus spiritale (3). Omne autem quod spiritali corpore potius est, corpus ut arbitror non est (4). »

Retulerat etiam Faustus ex Evangelio narrationem notissimam de Lazaro paupere et de divite epulone e qua jam alii ante ipsum argumenta duxerant ut animam corpoream esse demonstrarent (5). Respondet Claudianus multa quæ hoc loco dicuntur metaphorice et, ut ait, spiritaliter esse accipienda, nisi quis velit in errores varios incidere, qui inter se repugnent.

Argumentum quintum decimum. — Anima incorporea est, quia est imago Dei (6). — Denique nullum est argumentum ex theologia desumptum cui Claudianus vim majorem tribuat quam huic : hominem

(1) II Cor. V, 6, 8. — Cf. lib. I, cap. XXII.

(2) II Cor. XII, 2. — Cf. lib. II, cap. XII. Et cf. cum hoc loco Claudiani S. Augustin., *de Anima et ejus orig.*, lib. IV, cap. XII.

(3) « Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale. » — I Cor. XV, 44; scilicet corpus habilius et perfectius effectum, ut explicat Claudianus.

(4) Lib. I, cap. XIII, 57, 7; 716 A.

(5) Cf. S. August. *de Anima et ejus orig.*, lib. IV, cap. XXII *et seq.*

(6) Cf. lib. I, cap. IV, V, XXVI, — lib. II, cap. II, et *alibi passim*.

similem esse non posse Deo, qui certe incorporeus est, nisi anima incorporea decoretur. Norunt enim omnes libros Moysis, ipso in principio, narrare Deum fecisse hominem « ad imaginem et similitudinem suam (1) ». Quæ verba cum explanarent, multum laboraverunt christiani doctores, a primis Ecclesiæ seculis, ut ostenderent in quo hæc hominis ad Deum similitudo consistat (2). Quidam, ii scilicet quos Anthropomorphitas dixerunt, Dei corporei imaginem in humano corpore reposuerunt; alii, quos inter Tertullianus, dixerunt in humano corpore imaginem esse Christi, quem Deus ab æterno noverat in carnem esse venturum. Plerique tamen inter christianos similitudinem hanc vel animæ ipsi hominis, vel quibusdam animæ dotibus ac viribus tribuerunt. Faustus ipse non putavit in corpore esse Dei incorporei imaginem : neque eam in animæ substantia putavit esse, quoniam hanc substantiam corpoream esse dicebat, verum in immortalitate, qua anima æternitatis divinæ aliquo modo particeps efficitur (3). Claudianus vero docet, ut Augustinus, in animæ natura esse similitudinem Dei : inde asserit fieri non posse ut imago Dei aliquid corporeum sit, et ideo animam nostram nullo pacto esse e materia factam.

(1) Gen., I, 27.

(2) Eorum opiniones vide apud Dionysium Petavium, *De sex primorum mundi dierum Opificio*, lib. II, cap. II, III, IV, — in recenti editione *Dogmatum theologicorum* Petavii (Vivès, 1868, in-4°), tomo IV, pp. 306 *et seqq*.

(3) Faustus, lib. I *de libero Arbitrio*, cap. I, apud Migne, t. LVIII, 786 C.

§ VI. — ARGUMENTORUM FONS SEXTUS. — OPTIMUS QUISQUE PHILOSOPHUS ANIMAM INCORPOREAM ESSE PROFESSUS EST (1).

Argumentum sextum decimum. — Faustus opinionem suam confirmare tentaverat scriptis nonnullorum inter « eruditissimos Patres », ut ipse dicebat. Vix duos tamen proferre potuerat, quos inter S. Hieronymum non erat recte interpretatus. Ostendit e contrario Claudianus et majorem et meliorem partem philosophorum sibi suffragari : quod ut clarius demonstret triplicem hanc pandit bibliothecam sibi notissimam, « atticam, romanam, christianam ». Neque, ut multi facere solent, conatur unumquemque philosophorum in suam sententiam, vel illata vi, detorquere : ita libenter fatetur quosdam sibi adversari, ut etiam inter eos S. Hilarium immerito recenseat : verum jure summo contendit et plerosque et optimos animam putavisse incorpoream. Inter Græcos, Pythagoreos potissimum et Platonicos recenset; inter Romanos, Varronem, Catones, Ciceronem, Sallustium, Sextios; inter Patres, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Eucherium; immo e longinquis regionibus testem arcessit Zoroastrum apud Persas, et Brachmanas apud Indos, et apud Scythas Anacharsim. Ceterum de philosophis illis quos Claudianus enumerat amplius dicemus, ubi trac-

(1) Cf. lib. II, cap. II, VII, VIII, IX, X.

tandum erit de fontibus e quibus doctrinam suam hauserit.

§ VII. — QUID VALEANT HÆC CLAUDIANI ARGUMENTA.

Valentne hæc Claudiani argumenta, ad probandam animam non esse corpus? Valentne omnia? Quænam inter ea jam exciderunt et vi destituta videntur? Quænam firma manent et inconcussa? Id paucis declarandum est.

Patet quidem nullius esse momenti, atque immo puerile, hoc ratiocinium, quo ostendit auctor animam e materia non constare, eo quod ex nullo constet e quatuor elementis (1). Jamdiu enim hoc systema de elementis explosum est.

Alia quædam argumenta Claudiani valent, modo quis ea benigne accipiat et interpretetur, vim tamen parvam habent ad probandum. Exempli causa, docet auctor aliquid debuisse creari incorporeum, eo quod mundus optimus sit et optime dispositus (2). Hoc re vera principium, si ita intelligeretur, quasi Deus meliorem mundum quam noster est facere nequivisset, jam ad « optimismum », ut dicitur, deflecteret. A benevolo igitur lectore eo sensu accipiendus est, ut mundus hic, qui exsistit, optime factus et dispositus esse dicatur, nulla comparatione instituta cum aliis mundis qui fieri possent. Ceterum, inde concludi potest conveniens videri ut aliquid incorporeum in hoc mundo

(1) § 2, argum. 7um.
(2) § 1, argum. 1um.

creatum sit, non tamen certum esse omnino a *priori* rem ita se habere.

Inter argumenta quæ ad secundum fontem retuli, illud invenitur « molem in anima non esse ut in corpore » : quod variis exemplis Claudianus ostendere conatur. Vim quidem habet hæc probatio, si summatim inspiciatur, et recte mens et cogitatio opponitur moli corporeæ. Eamdem probationem legere est tum apud Scholasticos, tum apud Cartesianos. Non tamen omnia exempla quæ hic a scriptore afferuntur, ad trutinam si revocentur, valebunt. Perpendatur inter cetera exemplum illud desumptum e belluarum intellectu, quo ante Mamertum S. Augustinus usus erat : minus scilicet ingenium camelo inesse quam formicæ, cum majus deberet inesse belluæ majori, si anima corporea esset (1). Sic quidem Claudianus urgere poterat philosophos sui temporis : hi enim, cum animam sibi fingerent ut aerem quemdam per totum corpus æque diffusum, hunc aerem imaginari debebant largius in magno corpore sparsum, parcius in parvo. Sed nostra tempestate possent homines illi, qui materiæ omnia tribuunt, dicere minime sequi, ex eo quod mens, cogitatio et sensus supponantur esse vires corporeæ, eas vires debere majores esse in corpore majore, minores in minore. Nonne, exempli causa, vis *electrica*, quæ certe corporea est, major exsistit in quibusdam corpusculis quam in aliis vel maximis corporibus? Argumentum igitur illud, ductum ex exemplo formicæ et cameli, isti coævi nostri, ut puto, facile solverent : dicerent partes corporis et organa melius et

(1) Cf. S. August. *de Quant. Anim.*, cap. xv *et seqq.* Respondet S. Augustinus objectioni qua anima humana dicitur crescere cum corpore.

perfectius disposita esse in formica quam in camelo.

De loco et de motu tum per locum, tum per tempus, qua in parte Aristotelem et Peripateticos maxime sequitur, multa docte et recte Claudianus disserit, quædam tamen subtilius quam sapientius (1). At de his quæstionibus fert animus longius disserere capite sequenti.

Argumenta vero e theologia desumpta, in hac thesi expendenda non habemus. En tamen de his animadversionem quamdam, quæ ad philosophiam pertinet. Conveniens est, et quidem maxime, incorpoream esse eam substantiam quæ divinam similitudinem gerit; ideo, quicumque credit hominem « ad imaginem Dei factum esse (2) », decet ut credat partem alteram inesse homini a corpore diversam et corpore potiorem. Attamen Claudianus, doctrinæ suæ defendendæ studio et corporis odio impulsus, longius fortasse progreditur : affirmat enim, immo pluries, « in corpore nullam esse posse similitudinem divinam (3) ». Corpus tamen vestigium est aliquod divinæ perfectionis, et Creatoris pulchritudinem suo quodam modo imitatur. At auctor librorum *de Statu Animæ,* quando adversarium insectatur, verba non satis quandoque ponderat, et corpus animæ ut tenebras luci opponit; ubi tamen quietius loquitur, fatetur corpus, si non magnum bonum, saltem bonum quoddam esse, et bonum summum aliqua ratione repræsentare.

Cetera argumenta, de quibus nihil dicendum occurrit, bona videntur et firma, et iis ipsis uti con-

(1) Cf. argumentorum fontem 4^{um}.
(2) Gen. I, 27.
(3) Lib. I, cap. IV, 38, 13 ; 707 B.

sueverunt omnes qui eamdem thesim susceperunt probandam. Ea tamen, inter omnia, præstare videntur quæ ad secundum et tertium fontem retuli.

Etenim si aliqua exempla semoveas, quæ dixi non optime selecta videri, nil melius est neque ad demonstrandum validius in hac quæstione, quam scrutari et ante oculos ponere utriusque naturæ differentias, hinc scilicet naturæ cogitantis, illinc naturæ mole et extensione præditæ.

Sic rectissime ratiocinatur Claudianus, cum ostendit nullum corpus totum simul aut rem aliquam tangere, aut ab aliqua re attingi: animam vero totam simul tum affici re quam sentit vel cogitat, tum circa res sibi objectas versari (1). Hic mihi temperare non possum quin Claudianum cum S. Thoma Aquinate comparem : hic enim eamdem probationem exposuit, eloquentia minore, majore fortasse vi atque evidentia :

« Ostenditur, inquit, quod nulla substantia intellectualis est corpus. Nullum enim corpus invenitur aliquid continere nisi per commensurationem quantitatis ; unde et si se toto totum aliquid continet, et partem parte continet, majorem quidem majore, minorem autem minore. Intellectus autem non comprehendit rem aliquam intellectam per aliquam quantitatis commensurationem, cum se toto intelligat et comprehendat totum et partem, majora in quantitate et minora. Nulla igitur substantia intelligens est corpus (2). »

(1) Argumentum quartum.

(2) *Summa contra Gentes*, lib. II, cap. XLIV, § 1, in edit. Parmensi, t. V, p. 103. — Aliquid tamen differt argumentum Claudiani ab argumento S. Thomæ. Claudianus animam simplicem esse probat ex sensu ; S. Thomas ex intellectu : inde major vis hujus.

Animam præterea ideo non esse corpus, quia non possit in partes dividi, argumentum optimum est, quod ante Claudianum tum apud græcos philosophos, tum apud Ciceronem invenias. « In animi cogitatione, ait Tullius, dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex; quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur (1). »

Nec minus valent illæ probationes quas ducit auctor ex his animæ viribus quas accurate describit, memoria, intellectu, voluntate (2). Immo sic probatur non modo animam esse, ut dicunt, *simplicem* et a materia diversam, verum etiam eam esse *spiritualem*, scilicet vivere vita sibi propria, et in aliquot actibus suis a corpore minime pendere.

Ut igitur huic capiti finem imponanus, dicamus magnam laudem esse scriptoris nostri, quod ad demonstrandam præclaram et summi momenti doctrinam, tot argumenta congesserit et exposuerit. Non enim video a quonam auctore, vel profano, vel christiano, qui ante ipsum scripserit, tam multa simul collecta sint. Dignus igitur esset Claudianus qui maximo in honore apud philosophos haberetur, si quantum acumen in cogitationibus inveniendis, tantam methodum in iis exponendis exhibuisset. Meminisse vero debemus eas probationes non proferri ab auctore eo ordine, quo mihi utendum fuit ut ejus doctrinam clare et lucide evolverem, at per tres libros *de Statu Animæ* jacere diffusas hinc inde et disjectas.

(1) I *Tuscul.*, XXIX.
(2) Cf. argumentorum fontem 3um.

CAPUT IV.

DE MOTU, TEMPORE ET LOCO ET DE RELATIONE QUAM EA HABENT AD ANIMAM HOMINIS.

§ I. — PRÆNOTANDA.

Cum in superiore capite Claudiani argumenta recenseremus, diximus animam, secundum ejus doctrinam, « per tempus, non per locum moveri », et eam propositionem longius et distinctius esse evolvendam.

Antequam vero Mamerti placita referam, liceat pauca prænotare de motu, tempore et loco. Atqui, in hisce præviis adnotationibus, si quid addere videar iis quæ Claudianus expresse docet, ne quis id sine jure fieri existimet. Nihil enim aliud faciam, nisi ea quæ in mente habebat et quæ brevius innuit apertius declarare. Cum enim in opere suo festinet et laboret brevis esse, et multa subintelligat, multa paucissimis verbis indicet, nonne omnino æquum est et necessarium ea supplere et exponere quæ brevius significat, eas ipsi opiniones adscribere, quas non expresse profert,

quas tamen pro veris et acceptis ubique habet? Quid melius quam eas definitiones et ea principia in memoriam legentium revocare, quibus Claudianus ita evidenter assensum præbuit, ut sine his vera ejus sententia nequeat intelligi? Sic, modo hæc mihi venia concedatur ut primum hæc pauca exponam quæ Claudianus ubique præsupponit, postea doctrinam ejus de motu, tempore et loco melius fortasse et clarius referam quam alii qui de eo hucusque scripserunt.

Primum omnium igitur declarandum est quid sit motus, vel potius, — nam declarare quid sit motus quis audeat? — quid nomine motus Claudianus intellexerit. Hac porro voce non expressit tantummodo illum quem vulgo motum dicimus, materialem videlicet et localem. At contra, ut ex toto ejus opere liquido patet, motum sensu latiore accepit, eodem fere modo quo acceperat Aristoteles, et quo postea intellexerunt scholastici doctores : moveri igitur in ejus doctrina idem fere est ac transire vel de loco in locum, vel ab uno actu ad aliquem alium, vel ab uno statu ad alium : moveri demum idem est ac mutari.

Cum igitur res omnes creatæ ab uno statu ad alium transeant, quocumque modo id fiat, mutationes earum successionem quamdam efficiunt, in qua invenitur prius et posterius; alternationem igitur quamdam, qua motus mensuratur et numeratur : hunc numerum, qui motum metitur, philosophi tempus esse dixerunt. Hinc est notissima illa definitio tradita ab Aristotele quem in hac parte Mamertus sequitur : « Tempus est numerus motus secundum prius et posterius. » In hac igitur doctrina, primum omnium tenendum est, omnia quæ moventur sive mutantur,

moveri per tempus : cum motus sit quædam alternatio, tempus vero hujus ipsius alternationis numerus.

Præterea vero, videmus res quasdam, corpora nempe, non modo per tempus moveri, verum et alio modo. Cum enim locus uniuscujusque corporis possit dici veluti fines quibus hoc corpus circumscribitur, videmus corpora, aliqua vi impellente, quasi e finibus suis exire, ut intra alios fines includantur. Moventur, ut dicimus, de loco ad locum. Hoc genus motus utrum corporibus solis conveniat an aliis rebus, in præsenti nondum definiamus : illud vero fixum et certum maneat, omnia scilicet quæ moventur moveri per tempus, et, si non omnia, quædam saltem per locum etiam moveri. Jam vero quia tempus et motus ita sibi respondent ut unum sine altero esse non possit, patet et illud : si aliqua res est, quæ sit omni modo extra tempus, hæc erit immobilis, vel si res aliqua est quæ sit immobilis, hæc extra tempus erit.

His præmissis definitionibus, ut bene intelligatur ratio qua Mamertus motum, locum et tempus explicat, sciendum est etiam eum inniti hoc Peripateticorum principio : « Quidquid movetur, movetur aliqua re non mota (1). » Accipe porro quomodo, meo quidem judicio, hoc principium, quod ex datis definitionibus sequitur, Peripatetici cujusvis temporis intellexerint. Moveri, aiunt, est mutari, fieri, aliquid novum recipere vel pati. Quonam igitur pacto illud quod mu-

(1) Hoc principium sic propono, quia sic Claudianus doctrinam suam proponit. Re tamen vera duo principia in eo latent : 1° Omne quod movetur alia re movetur ; 2° Hoc aliud quod movet est immotum, saltem relative, scilicet relate ad motum quem dat, ut scholastice dicam : clarius et humanius, hoc quod movet eo ipso motu quem dat non movetur.

tatur fiet id quod non erat, nisi fiat ab aliquo agente? quonam pacto id accipiet quod non habebat, nisi ab aliquo possidente et dante accipiat? Nihil est ergo quod possit, si proprie et stricte loquamur, movere se ipsum, scilicet ita reflexe in se ipsum agere ut se moveat (1). Pars una alicujus naturæ quæ aliquo pacto composita est, potest aliam partem movere, modo et ipsa a tertio motore moveatur, ita ut pars unaquæque aliunde motum accipiat, nulla a se ipsa. Hac enim voce « se movere » duo exprimuntur : movere et moveri. Movere est novum aliquid dare, facere ut ea quæ sunt, sint novo aliquo modo : moveri est aliquid accipere, esse aliquo novo modo. Atqui, si res aliqua posset stricte loquendo se ipsam movere, si movere simul uno aliquo motu et hoc eodem motu moveri posset, posset simul et dare et accipere aliquid idem, fieri

(1) Hanc sententiam non defendo ut meam, ut alienam expono. Opinor tamen solvi posse ea quæ contra eam dici solent. Objicitur ea quæ vivunt vere se ipsa movere et perficere interno motu se ipsa. Respondetur esse in illis passivum aliquid, activum aliud; unam partem viventis alia parte moveri, membra nervis, nervos anima; unum actum in alio actu præcedenti causam habere, et influere in actum sequentem. Exempli gratia, nobilissima est vita interna animæ nostræ : hæc movet se et intelligendo et volendo, et arbitror ex hoc motu probari posse eam esse spiritualem (Cf. Cicer. *I Tuscul.*, XXIII) : tamen verum est dicere cogitationem nostram vel re sibi objecta moveri, vel præcedenti cogitatione, vel voluntate ; moveri voluntatem re quam intellexit esse bonam. Hoc sensu verum esse videtur principium : quidquid movetur alia re movetur. Ceterum en verba Aristotelis, quibus distinguit potentiam activam, sive potentiam movendi, a potentia passiva, scilicet a potentia qua aliquid moveri potest : « Potentia dicitur, quædam quidem [scilicet activa], principium motus aut transmutationis in altero, aut prout alterum est [aut in eodem, prout est alterum] : ut ædificativa potentia est, quæ non inest in ædificato [sed in ædificante]; sed ars medendi, cum sit potentia, inerit tamen [inesse poterit] in eo qui sanatur, sed non prout sanatur. Quædam igitur omnino principium transmutationis aut motus dicitur potentia in altero, aut prout alterum est. Quædam vero [scilicet passiva], ab altero, aut prout alterum est

et facere ut esset novo aliquo modo. Id quoniam aperte repugnantia involvit, necesse est ut res quæ fit aliquid novum mutetur vi alterius quæ sit aliquo modo id ipsum quod fit prior; ut res quæ accipit, accipiat ab alia re quæ sit possidens. Sic, quod pertinet ad motum per locum, necesse est ut rei quæ movetur aliquid tribuat hanc ipsam vim, quam exhauriet dum ad metam properabit. Sic, in alio rerum ordine, qui vult doctus fieri, mutari scilicet mutatione intellectus, debet scientiam aliunde haurire, eam ibi quærere ubi invenitur, investigare nempe in libris vel a magistro traditam accipere. Cum vero ipsi nos movemus, pars una partem alteram movet, vel aliqua res extra nos sita motus nostri causa est et principium. Movent ea quæ extra nos sunt intellectum nostrum vel nostros affectus : movet res bona intellecta vel amata voluntatem nostram : movet voluntas corpus nostrum et vires omnes ut at finem propositum veniamus. Ergo, ubicumque movetur aliquid, inveniatur necesse est aliquid aliud movens, aliquid aliud fixum, a quo motus procedat.

Hæc ipsa est doctrina Claudiani nostri : « Oportet, inquit, accipias nihil moveri posse nisi ab immoto. Atque ut id doceamus exemplo, digitum certe nisi stante manu movere non possumus : motus autem bracchii ab

sc. potentia passiva est principium quo subjectum aliquod recipere potest aliquam transmutationem ab altero, vel a se ipso, in quantum alterum est]... » — *Metaph.*, lib. IV, cap. xii. — In edit. Didot, tom. II, p. 524, lin. 8 *et seq.*; in edit. Berolinensi Bekkeri, p. 1019. — Nuperrime, unus ex his viris qui scholasticam, ideoque aristoteliam, disciplinam nostro seculo instaurare conantur, dilucide hoc principium explanavit de quo hic agitur : *Métaphysique des causes, d'après S. Thomas et Albert le Grand,* par le P. de Régnon, S. J.; Paris, 1886; — Livre III, ch. ii, article 1, p. 162 *et seqq.*

umeri stabilitate est. Et, ut non diutius immoremur, in gradiendo utique pes unus figendus est, ut alter promoveri queat... Atque ut hoc ipsum, si quo modo queam, verbis planum faciam, attentiorem mihi lectorem opus est. Ecce ad aliquid scribendum vel fabrefaciendum ut manus moveatur animæ nutus intenditur. Anima conspicatur incorporeas illocaliter formas, quibus indissociabiliter juncta... et membrum tota movet, et formarum veritatem tota conspicit, et totum præter hoc corpus ubique tota sentificat... Stabit ergo anima in contemplatione formarum, ut moveat corpus in figuratione formabilium (1). »

Præfatis igitur iis omnibus quæ pertinent ad notionem motus, loci et temporis, et ad principium illud : « Quidquid movetur, aliqua alia re immota movetur »: jam evolvenda est Claudiani doctrina, quæ tota e Peripateticorum fontibus hausta est, et sic fere potest paucis verbis statui : Non movetur Deus, sed in se stabilis, motus omnis est principium (2); Deum inter et corpora, medius interjectus est spiritus, qui, vita et motu a Deo acceptis, per tempus movetur ; corpora denique et a Deo et a spiritibus moventur tum per tempus, tum per locum.

(1) Lib. I, cap. XVIII, §§ 1 et 2, 64, 23; 65, 14; 66, 6; 719 D, 720 B, C.

(2) Verba ipsa Claudiani sunt : Deum *stabiliter moveri* : quæ aliqua ambiguitate laborant, et infra discutientur.

§ II. — DE DEO ET DE STABILI MOTU (1).

Deum non moveri eo ipso patet, quod sit omnis motus principium. Quia etenim omne quod movetur aliquo immoto debet inniti, necesse est ut supra omnia quæ creata sunt et moventur, mens aliqua exsistat, quæ sit motuum omnium ratio ultima et summum principium, quæ vero ipsa motum a nulla alia accipiat, ideoque sit in se stabilis, ideoque nec tempore nec loco contineatur. Notum est hoc ratiocinium quo Aristoteles Deum esse demonstrabat, et quo post ipsum philosophi persæpe usi sunt. Eodem sensu scribit auctor noster : « Omne temporaneum mobile atque mutabile immutabilis et stans sempiternitas includit, afficiens salubriter aliqua, judicialiter aliqua affici sinens, ipsa ab omni affectu vel motu temporis et loci satis aliena, prædita illo tantum motu qui stabilis dicitur, ex qua, et per quam, et in qua, est omne quod solo tempore et ab ipsa tantum movetur, et omne quod et per tempus et locum ab illa movetur, neque solo tantum tempore (2). »

Demonstrat scriptor noster et alio modo Deum non contineri loco nec tempore, nec suscipere mutationem aliquam, ideoque non moveri. Nulla enim ex iis rebus quæ substantiis accedunt vel ab eis recedunt, nulla, ut ait Claudianus, ex iis « accidentiis » quas Aristoteles

(1) Cf. Lib. I, cap. III, § 5 ; — cap. XVII et XIX.
(2) L. I, cap. III, § 5, 30, 24 ; 703 D.

in novem prædicamenta distribuit, potest Deo convenire : « Ex illis Aristotelicis categoriis nulli prorsus subjacet essentia divina. Rursus anima humana non omnibus subjacet. Porro corpus quodlibet subjacet omnibus (1). Nam de Deo non dicimus qualis est, quia non potest comparari quasi ad aliud, ut dicatur talis est. Nec dicimus quantus est, quia non mole magnus est. Nec quid habet, quia nihil non habet. Nec quo modo est, quia ipse modus est. Nec habitum ejus inquirimus, quia continet omnia. Nec locum, quia non nisi corpus in loco est. Nec tempus, quia sempiternitas est. Nec actum, quoniam quietus agit. Nec passionem, quia non patitur. Jam decima, immo prima est ipsa substantia, de qua hæc prædicamenta texuntur (2). »

Deus igitur, qui in se est extra tempus omne et locum, omnia quæ creata sunt movet, tum per tempus, tum per locum. Movet, inquam, tum quia creatio ipsa omnium motuum initium fuit, tum quia res creatas etiam nunc conservat, regit, viribus instruit. Movet autem intelligendo et volendo. Porro ita omnia intelligit et noscit, ut res quæ in tempore fiunt, nihil illi præbeant novum quod non ab æterno perspiciat ; ita vult omnia quæ operatur, ut cum ea per tempus fiunt, nihil tamen velit novum quod non ab æterno fieri jubeat. Uno verbo ipse immotus omnia movet : ipse est ab æterno principium mutationum quæ in tempore fiunt. Hoc expressit Claudianus, cum tribuit Deo « stabilem motum », verbo quidem usus non satis apto.

(1) In doctrina igitur Claudiani, res unaquæque eo perfectior est quo paucioribus categoriis subjacet.

(2) Lib. I, cap. XIX, 69, 4 ; 721 D.

Videtur enim dicere Deum et ipsum moveri : id tamen ejus doctrinæ ita aperte repugnat, ut clare pateat eum nihil aliud significare voluisse, nisi motum rerum creatarum in Deo tanquam in suo principio stabili radicari. Ceterum en ejus verba : « Tres ergo esse motus : stabilem, illocalem, localemque, jam notum est. Stabilis motus Dei est, illocalis animæ, localis corporis. Stabilis motus est, quod Deus creaturam non semper fecit; sed tamen eamdem non nova voluntate tunc creare voluit cum creavit, quia *semper tunc* voluit creare, cum fecit. *Tunc* temporis significatio est. *Semper* non ad tempus pertinet. *Tunc* ergo istud ad principium temporis pertinet, non ad tempus, quia temporaneum motum stabilitas sempiternæ voluntatis includit. Ac per hoc *semper tunc* velle stabilis motus est. Hic oportet accipias nihil moveri posse nisi ab immoto (1)... » Et hic Claudianus cetera refert quæ clarius visum est antea explanare.

Hæc porro doctrina qua Deus æternus mundum mutabilem extra se movere ostenditur, Aristotelis est simul ac Platonis : in eam enim conspirant omnia quæcumque uterque philosophus sublimia excogitavit. Nota sunt Aristotelis dogmata. Ipsi assentiri in ea parte Platonem, vel solus ostenderet ille locus quo Timæus describit Patrem rerum volentem facere mobilem quamdam æternitatis imaginem, et res omnes per tempus in numerum moventem (2). Scriptores vero Christianos, qui eamdem doctrinam, a Græcis philo-

(1) Lib. I, cap. XVIII, § 1, 64, 14 ; 719 D.

(2) Εἰκὼ δ'ἐπενόει κινητόν τινα αἰῶνος ποιῆσαι. — Plato, *Tim.*, 37, d. — Cf. *ibid.*, 37, d, e ; — 38, a, b. — In edit. Didot, tom. II, p. 209. — Cf. et *Phædrum*.

sophis acceptam exposuerunt, suo quisque modo, nominare longum esset; eorum scripta recensere, velut infinitum. Satis sit afferre unum Augustini locum, quo clarius appareat quam vicinus ipsi sit scriptor noster et quomodo ejus sententiam, immo pene verba expresserit. Sic ille loquitur Deo : « Verbo tibi coæterno, simul et sempiterne dicis omnia quæ dicis, et fit quidquid dicis ut fiat; nec aliter quam dicendo facis : nec tamen et simul et sempiterne fiunt omnia quæ dicendo facis. Cur quæso, Domine Deus meus? Utcumque video; sed quomodo id eloquar nescio, nisi quia omne quod esse incipit et esse desinit, tunc esse incipit et tunc esse desinit, quando debuisse incipere vel desinere in æterna ratione cognoscitur, ubi nec incipit aliquid nec desinit (1). » Paulo post, ad hanc difficultatem : « Si voluntas Dei sempiterna erat ut esset creatura, cur non sempiterna et creatura? » sic idem respondet : « Qui hæc dicunt, nondum te intelligunt, o sapientia Dei... Quis tenebit cor hominis, ut stet, et videat quomodo stans dictet futura et præterita tempora nec futura nec præterita æternitas (2)? »

(1) *Confess.* lib. XI, cap. VII ad fin. et VIII a princ., — apud Migne, t. XXXII, col. 813.

(2) *Confess.*, lib. XI, cap. X ad fin. et XI, — apud Migne, t. XXXII, col. 814. — Hunc locum *Confessionum* unum e sexcentis eligo. Cf. præterea lib. VIII *de Genes. ad lit.* cap. XIX *et seq.*, potissimum cap. XX; — *Confessionum*, librum XI fere totum; — demum pulcerrimum illum locum quo Augustinus explicat verba Jesu Christi : « Principium, qui et loquor vobis », et disserit de mutationibus rerum, de æternitate, et de Deo, rerum omnium principio. *In Joann. Evang. tractat.* XXXIV, §§ 9, 10, 11.

§ III. OSTENDITUR CORPORA MOLE MAGNA ESSE ET MOVERI PER TEMPUS ET LOCUM.

Nunc dicenda videntur ea quæ pertinent ad corpora, et ad relationem quam ea habent ad tempus, locum et motum : quibus intellectis melius apparebit quid sentiendum sit de anima et de relatione quæ inter eam et easdem res intersit.

Ceterum pauca in præsenti articulo debemus adnotare : corpora enim nobis sat nota sunt, utpote quæ quotidie videre soleamus et tangere. Perspicuum est nempe corpora, ut cetera quæ creata sunt, intra temporis limites exsistere; ea præterea aliis limitibus contineri, scilicet certum quemdam locum ubi sint sibi vindicare. Certe, corpora localia esse sæpe dictitat Claudianus noster. Utrum vero opinetur extensionem esse naturam ipsam et essentiam corporum, non satis liquet (1). In hoc saltem cum Cartesio consentit, ut dicat extensionem et corpus esse res inter se natura ipsa arctissime conjunctas, et extensionem ad corpora essentialiter pertinere.

(1) Quæstio hæc, quam sub judice linquo, est : Utrum in doctrina Claudiani extensio sit ipsa essentia corporum, an aliud ad eam essentiam proxime pertinens. Dicit porro Claudianus, lib. I, cap. XIV : « Nihil enim locale est, quod non et ipsum locus est » ; quod potest sic intelligi : Corpora quæ localia sunt, nihil aliud sunt quam locus ipse ; vel aliter, ex contextu : Corpora dici possunt esse locus, quia partem loci obtinent. — Alibi, lib. III, cap. VI (apud Migne, cap. V, § 2) dicit : « Loca corpora sunt, » quam sententiam possumus intelligere vel : Corpora sunt ipsa extensio ; vel : Locus est aliquid corporeum. Manet ergo dubium de hac quæstione.

Jam vero, quia et tempore et spatio corpora concluduntur, motus quoque corporum fiunt per tempus et per locum: per tempus, easdem ob causas ac motus spirituum : scilicet, eorum motu, aliquid fit novum nunc quod antea non erat; per locum, nam cum omne corpus occupet aliquam partem spatii, nihil novum fieri potest in corpore quod non ad spatium et locum relationem habeat. Motum enim hoc sensu accipiamus, quem expressimus initio hujus capitis, scilicet ita ut sit quævis mutatio : inveniemus mutationes in corporibus, quamvis non omnes tantummodo locales sint, nunquam tamen fieri nisi per locum (1). At imprimis motus ille corporum, quem motum vulgo dicunt omnes, quem melius intelligimus vulgari quodam conceptu quam ope definitionum, motus, inquam, ille nihil est nisi transitus de loco ad locum.

Hic motus proprie dicitur corporalis motus, et hic potissimum considerandus est, cum corpora et spiritus inter se conferuntur. Porro hoc motu, ut jam diximus, nullum corpus movet se ipsum : sed mobile corpus, vel mobilis pars corporis debet alio corpore vel alia parte ejusdem corporis moveri, vel etiam a spiritu, ut corpus nostrum ab anima movetur.

Præterea distinguit Claudianus varios corporum motus ex variis partibus quas versus moveri possunt.

(1) Addo quædam exempla, quæ apud Claudianum non sunt, ad ostendendum omnem mutationem in corporibus localiter fieri. Calefit aqua : paulatim et per partes locales calefit, et calefactio ejus aliquatenus a loco pendet : vis enim quædam certa caloris aquam ita calefacere potest ut ebulliat in pelvi uno pede lata, non potest idem si pelvis sit bipedalis. Adolescit corpus vivens : per locum distenditur. Maturescit fructus arboris : paulatim ea parte mollitur et rubescit qua solis percipit radios.

Jam audivimus eum dicentem omne corpus habere partes superiores et inferiores, dextras et sinistras, anteriores et posteriores. « Subjacet autem pro numero partium sex utique motibus. Movetur autem omne corpus sursum, deorsum; in dextrum ac sinistrum; priorsus et retrorsus. Movetur autem etiam motu septimo, sicut est rotæ et sphæroidis : qui perfectus motus ad æternitatis indicium a se, et per se, et in se peragitur (1). »

Hanc motuum divisionem carpserit qui voluerit : etenim non movetur tantummodo corpus sursum, deorsum, in dextrum latus ac sinistrum, priorsus ac retrorsus, verum et sexcentis aliis modis intermediis. Mihi tamen existimare liceat eam fuisse Claudiani mentem, ut duplex tantummodo motuum genus distingueret : unum, quo corpora de loco certo ad locum certum et ad finem quemdam transferantur, sive id fiat sursum, sive deorsum, sive ad dextrum latus, sive ad sinistrum, sive priorsus sive retrorsus, sive sexcentis viis intermediis; posterius quo corpora volvantur, sive partes eorum moveantur circa ipsius corporis centrum, corpore toto per spatium interim non delato, sive corpora per spatium deferantur, per orbes vel *circulares* vel *ellipticos*, ut dicunt : quoquo enim modo id fiat, in hoc altero genere nullus est finis et terminus præscriptus corpori quod movetur : sed in se redit, et iisdem viis semper revolvitur. Priorem speciem motus veteres motum imperfectum dicebant, alteram « motum perfectum (2) » : et mysticis quibusdam comparationibus dicebant his motibus corporum repræsentari motus

(1) Lib. I, cap. XVIII, § 3, 67, 8; 721 A.
(2) Hoc verbo utitur Claudianus, *loc. cit.*

animæ, tum eos quibus ad aliquid intelligendum vel amandum ipsa se movet, tum eos quibus in aliqua re intellecta et amata quiescit (1).

§ IV. — DE TEMPORE, LOCO ET MOTU, ET DE RELATIONE QUAM EA HABENT AD ANIMAM HOMINIS.

Venimus ad nodum et cardinem quæstionis, scilicet ad animam ipsam hominis, quæ media est Deum inter et corpora creata. Quia vero permulta sunt ea quæ pertinent ad motus animæ nostræ et ad statum ejus in tempore et loco, et quædam in iis satis obscura, pedetentim progrediamur, ita ut primum dicamus ea quæ magis evidenter apparent, deinde ad quæstiones magis reconditas accedamus.

Primum igitur satis constat animam nostram moveri, et motus ejus per tempus fieri. Labente enim tempore, ab una cogitatione ad aliam transimus, ab uno affectu mutamur in alium : ubi amor, odium, tristitia, gaudium, mentem nostram vicissim invadunt, nos diversis vicissim sensibus perturbamur, et, ut Virgilius dixit,

Vario miscentur pectora motu.

« Nam, inquit Claudianus, sicut Deus stabiliter movetur, sic anima temporaliter. Temporale est autem,

(1) In his immorari extra propositum est. Legerit qui voluerit Dionysium, quem Areopagitam dicunt, *de Nomin. Divin.*, cap. IV, §§ 8 et 9. — S. Thom., *Summ. Theolog.*, 2ª 2ªᵉ, quæst. 180, art. 6°.

quod paulo ante superba, nunc humilis; prius læta, nunc tristis; dilexit ante, nunc odit; prius aliquid oblita, nunc meminit. Hujusmodi autem motibus animæ non communicat corpus, quibus, immoto nihilominus corpore, movetur. Unde datur intelligi animam per tempus illocaliter moveri (1)... »

Cum vero anima nostra ita se habeat ad tempus, alia est ejus relatio ad locum. Non est enim ipsa in loco ut sunt corpora, ita ut dicere possimus hic incipere animæ substantiam, illic terminari, vel talem ejus partem tali parti spatii corporei respondere. Animavertimus vero jam pridem, cum sermo fuit de libello Fausti Reiensis, longe aliud esse non commensurari loco, aliud loca omnia implere; aliud non terminari loco, aliud locis omnibus adesse : hoc solius Dei est, illud animæ humanæ et omnis spiritualis creaturæ. Confusione tamen facta utriusque, dixerat Faustus aut animam esse corpoream et localem, aut ipsam locis omnibus adesse : cum autem facile ostenderet animam non ubique esse præsentem, illam corpoream et localem esse inde inferebat.

Sic adductus est Mamertus, ut declararet quo pacto anima non sit proprie in loco, neque insit tamen omnibus locis. Opinatur scilicet ille animam non esse nisi in corpore, non tamen eo localiter contineri.

At vero, objicit adversarius, « Quomodo non localis est quæ inserta membris et illigata visceribus, solis motibus vaga, condicione substantiæ tenetur inclusa (2)? » Et exemplis additis, hoc suum ratiocinium confirmat : hominis enim viventis anima in ipso est,

(1) Lib. I, cap. xviii, § 1, 65, 5; 720 A.
(2) Faustus, apud Claudianum D. Engelbrecht, 11, 2.

non extra ipsum; hominis mortui anima extra corpus est. Localis est igitur anima, quæ in tali loco esse vel non esse potest, et movetur per locum ut e corpore recedat, vel corpus induat (1).

Illam difficultatem lucide satis, pro re proposita, nec inficete solvit scriptor noster. Adversarius, inquit, utitur « formidabili atque, ut autumat, insolubili syllogismo : ut anima ubi est, sit; et non sit, ubi non est; tamquam nos eamdem aut ubique, aut nusquam esse dicamus. Cum si ubique esset, Deus esset; si nusquam esset, nihil esset. Illa quidem non in toto mundo est tota, sed sicut Deus ubique totus in universitate, ita hæc ubique tota invenitur in corpore. Et sicut Deus nequaquam minore sui parte, minorem mundi partem replet, majore majorem, sed totus in parte, totus in toto est; ita et hæc non pro parte sui est in parte corporis. Nec alia pars animæ sentificat oculum, et alia vivificat digitum : sed sicut in oculo tota vivit, et per oculum tota videt; ita et in digito tota vivit, et per digitum tota sentit (2). »

Est ergo anima in corpore, sed ita ut sit principium quo corpus vivificatur, et ut sit tota in toto corpore, tota in singulis ejus partibus : non est igitur in corpore humano eo modo quo unum corpus in alio collocatum : non, ut Faustus opinabatur, corpore continetur eo modo quo vase continetur aer aut aqua. « Omne quod est, ut breviter dicam, aut in se, aut subjectum,

(1) Exemplum proponit Faustus Lazarum illum quem mortuum quatuor abhinc diebus Jesus Christus suscitavit : cujus anima primum fuit extra corpus, deinde in corpus a Domino revocata fuit; addit animam ipsius Christi extra corpus fuisse, cum Christus in cruce mortuus est, tertia vero die rediisse ad corpus.

(2) Lib. III, cap. II, 155, 5 ; 761 B.

aut in subjecto est. In se est Deus. In rebus corporalibus subjectum est corpus, et color corporis in subjecto; in incorporeis, animus et disciplina (1); quæ ita sibi nexa sunt, ut nec sine colore corpus, nec sine disciplina sit rationalis animus. Modo tu videris, qui animam corpus esse, et eamdem superjectam in subjecto corpore contineri credis, utrumnam probare valeamus manere quod in subjecto est, ipso intereunte subjecto. Quia si corpore continetur, ipsa in suo superjecta subjecto est, nec manere poterit quæ continetur, illo pereunte qui continet. Sed dicit Apostolus : Veterascente corpore renovari animam : corruptaque solidari (2). Non ergo corpore continetur (3). »

Rectius igitur dicendum erat non corpore animam, sed anima corpus contineri (4). Sic urget adversarium Claudianus noster, cujus verba referre pergimus : verba subtilia quidem et scholastica nimis : quæ tamen, si attente legantur, satis aperiunt mentem scriptoris :

(1) Scilicet in incorporeis animus est subjectum et disciplina est in subjecto.

(2) Alludit ad hæc verba S. Pauli, quæ paulo ante protulit : « Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. ». — II *Cor.* IV, 16.

(3) Lib. III, cap. III, § 1, 157, 14 ; 762 B.

(4) Verbum *continere* vel significat modo vasis recipientis substantiam receptam intra se tenere, ne extra diffundatur, et ad suam figuram effingere : — sic dicimus : Amphora aerem aut aquam continet; — vel significat vi quadam cohærentiæ partes diversas colligare, ut in unum aliquid conveniant ; — sic dicimus : Homines quadam inter se cognatione continentur. — Porro Claudianus a priore sensu ad alterum, priori vicinum, transit. Dicit enim : Corpus non continet animam, ut vas aquam (priore sensu), sed potius partes corporis anima, ut vi cohærentiæ, inter se continentur (altero sensu). Attamen ratiocinium ejus non potest dici lusus tantummodo de verbis : nam posterior sensus re vera priorem aliquo modo includit : anima colligat partes et elementa corporis vi quadam cohærentiæ, et eas coadunat, ne passim diffluant et diffundantur, ut fit post mortem.

« Vide, inquit, ne non corpus contineat animam, sed contineatur ab anima. Hoc nempe corrupto, illa solidatur, sicut illud itidem hujus amissionne dissolvitur. Illa sine hoc vivit melius, hoc sine illa nec pejus. Atque ut ex his duobus, quibus confit humana substantia, quid in quo sit non argumento solum vigeat, sed etiam auctoritate clarescat, propheticum quoque testimonium proferamus. Ait namque : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* (1). Ac nobis primum videndum est, utrumnam illud aggravet, quod in quoquam ; an illud in quo quidque est. Si illud in quo aliquid est, levatur ergo pondere quidque oneratur (2). Sin vero illud aggravat quod in aliquo, non illud in quo aliquid est : magis in anima est corpus, quod aggravat animam, quam in corpore anima quæ gravatur a corpore : onus videlicet in portitore, non portitor in onere. Quæ cum ita sint, magnam animæ auctoris sui inesse similitudinem, maximo illud indicio est, quod pro similitudine sicut illocaliter mundus in Deo est, sic illocaliter corpus in anima.

« Nunc sciscitanti mihi peto respondeas : Si localiter intra corpus est anima, quomodo continet corpus ? Notum nempe est, corpore contineri nihil posse corporeum, nisi quod continet exterius sit, et quod continetur interius. Anima vero, ut affirmas ipse, corporea, quomodo intra corpus est ad id vivificandum et extra corpus ad continendum ? An forsitan sic exterius continet ut exterius non sit ? Rursus igitur in illam redi-

(1) Sap. IX, 15.

(2) Sensus est : Si illud in quo aliquid est (res recipiens) aggravat, ergo cum ex alia parte sciamus rem quæ recipit levare rem receptam, jam aggravari (seu pondere onerari) idem est ac levari : quæ consequentia, ut patet, est absurda.

gimur difficultatem, ut anima aut sit illocaliter extra corpus, ut contineat corpus; aut, si continet ubi non est, sit ubi non est (1). »

Fatendum est igitur, (hæc est enim Claudiani conclusio, licet non expressa in fine hujus ratiocinii,) corpus contineri ab anima, non quidem ut aqua vase continetur, sed vi cohærentiæ, qua partes omnes et elementa corporis in unum conveniant.

Etsi hæc sat philosophice explanavit, suspicatur tamen Claudianus aliquid obscurum in mente adversarii permanere. Etenim quamvis auctor librorum *de Statu Animæ* dictitet animam non esse localem, et hoc omni modo demonstrare conetur, videt nihilominus Faustus animam non diffundi extra corpus, ideoque dictitat et ipse animam esse quodam modo in loco certo, et ideo quodam modo localem.

Hoc concedere poterat Claudianus, eo sensu quo superius rem exposuit, nec sic doctrinæ suæ nocuisset : at ita ratum et statutum habuit animam ab omni localitate vindicare, ut, potius quam concederet eam aliquo modo esse localem, maluerit recurrere ad novam quamdam rationem respondendi : Mundus universus, inquit, qui certe localis est, non est tamen in loco, (hæc est nempe Aristotelis doctrina) ; cur non vicissim anima sit in loco, cum tamen localis non sit ? Hac via, ni fallor, Claudianus solvit « mirabile per mirabilius » ; dignus est tamen, vel ob rei novitatem, qui audiatur : « Sed forte contendas, quomodo anima et in loco est, et localis non est ? Et ego te mutua consultatione percontor, quomodo corporeus mundus et loca-

(1) Lib. III, cap. III, §§ 2 et 3, 158, 5 ; 762 D.

lis est, et in loco non est? Quod si mundum in loco esse responderis, nihilo segnius quæro : Locus in quo est mundus, extra mundum, anne de mundo sit? Si de mundo, non in illo mundus, sed in alio ipse cum mundo est. Si extra mundum, rursus quæro : utrum locus in quo est mundus, in loco sit? Aut igitur loca, hoc est corpora, infinita fateberis, itaque Deo, qui solus infinitus est, corpus æquabis, aut mundum non in loco esse concedes. Istam nunc ergo rationem mente pertracta, et sicut tantum locorum, tantumque spatiorum esse perspicis non in loco : ita illud quod nullius est molis, nullius est spatii (1), intellige in loco esse posse sine loco (2). »

Admiserit qui voluerit, deriserit qui maluerit hoc exemplum de illocalitate mundi. Tenemus, (ut paucis verbis colligam doctrinam Claudiani de præsentia animæ in corpore,) animam neque esse extra corpus vivum, neque esse localiter in corpore. Est enim hæc tota in corpore toto, tota in singulis partibus corporis; neque adest ut recepta in corpore recipiente, sed potius adest ut continens corpus, scilicet ut cogens in unum elementa quibus corpus constituitur, et dans ipsi vitam et motum.

(1) « Nullius est molis, nullius est spatii, » versum esse pentametrum animadvertit Barthius, et Claudianum dicit ita poetam fuisse ut versus orationi suæ incautus intersereret : nisi versus sit ignoti alicujus poetæ.

(2) Lib. III, cap. IV (apud Migne, cap III, § 4), 160, 5 ; 763 C. — Sequitur hæc sententia apud Migne : « Quia si illud quod locale est, in loco est; multo minus in loco non est, quod locale non est »; quæ sententia omnino caret sensu. Sic edidit D. Engelbrecht : « Quia si illud, quod locale est, in loco non est, multo minus in loco est, quod locale non est. » Jam sententia intelligitur : mirum tamen Claudianum jam dicere animam in loco non esse, cum antea concederet eam in loco esse et probaret tantummodo non esse localem.

Anima igitur, quæ non localiter inest corpori vivo, nec localiter recedit a corpore mortuo ; nec postquam recessit, localiter est extra corpus, sed, ut illocaliter erat in corpore, sic illocaliter sine corpore manet. Hæc est enim sententia Claudiani qui in hac parte etiam nimius fuit in asserendo animæ illocalitatem. Melius enim fuisset candide confiteri discessionem animæ a corpore, ut ejus in corpore præsentiam, locale aliquid habere. Hac cursim præmissa animadversione, ea quæ docuit exponere pergamus.

Anima, cum moritur homo, non egreditur e corpore, proprie et stricte loquendo, velut qui domum relinqueret, alias habitaturus, sed potius ab opere tantum quiescit, quod in corpore exercebat (1). Immo, si bene inspiciemus utra pars ab altera recesserit, dicemus potius corpus ab anima discessisse quam animam a corpore : cum enim corpus ita morbo vel alio malo dispositum et affectum fuit, ut jam in illud vires suas anima non posset exercere, tunc mortuum est corpus : defuit scilicet animæ, se velut retraxit ab influxu ejus : ipsum jam non valet ab anima conservari vivum, cum anima semper vim habeat ut illud in vita conservet, si aptum corpus esset et dispositum. Eadem enim ratione anima discedit vel ab uno membro corporis, cum membrum aliquod vivi corporis aliquo morbo languet et, ut aiunt, moritur, vel a toto corpore, cum corpus ipsum morte deperit : in utroque scilicet casu, non

(1) Concessisset tamen, ut puto, vel ipse Claudianus, corpus in cœmeterium deferri, animam ad præmium vel ad pœnam ire, et alium esse locum præmii, alium locum pœnæ : concessisset igitur esse aliquo modo localem discessionem animæ a corpore. At id asserit, quod verum omnino videtur, mortem non esse hanc ipsam discessionem, sed esse cessationem influxus quem anima in corpus exercebat.

transit anima de loco ad locum, sed influxum suum exercere desinit, quia ipsi materia apta subtrahitur. « Quomodo fit, inquit Claudianus, ut anima eodem nutu sanum infirmumque membrum dispariliter moveat? Ecce ille lævæ manus vigore valet, usum dextræ ictu, ut assolet, humoris amisit : manus reliquo adhærens corpori, etsi non in eodem vigore, in eadem permanet specie, nec tamen servit nutibus animæ. Quid dicemus ? pulsa exinde localiter cessit anima? Et quo abiit ? quo inde discessit? Sed forte ad reliquam partem sui se contulit? sed jam totum corpus implebat anima : et potest adjici pleno quidpiam quin superfluat? Ergo fortassis exhalandum est aliquid animæ vel eructandum, aut quoquo modo digerendum, eo quod non integrum corpus non integram capiat animam. Hæc certe absque ambiguo consequi necesse est, si corpus est anima. Quod quoniam fieri nequaquam potest, illud potius intuere, quod non anima imperandi vim perdidit, sed vires serviendi manus amisit. Illo enim, ut puta, sanguinis impetu conniventium elementorum harmonia turbata, corpori adimitur serviendi possibilitas, et animo dominandi accìdit difficultas, et incipit esse oneri quod erat usui. Non tamen anima movendi vim perdidit, sed membrum convenienter se necessariæ motioni non præbuit. Et in quolibet oculis capto, quantum ad animam spectat, remanet vis videndi corporalia per corpus, sed organi membra deficiunt, quibus potentias suas exserat ad sentienda corporea. Sicut ergo ratione perspicua claret liquido, non animam membro debili localiter pulsam, sed ab animæ intentione vivaci membrum languore torpens, velut quadam mortis vicinia, dissidere : ita cum animalis

cujuspiam corpus dissonantia sui dissederit, recurrentibus ad regiones suas elementorum particulis, anima non habens quo intentiones suas explicet, pecudis deperit, humana requiescit : ab his tamen tantum motibus quibus corpus movebat per loca, ipsa per tempus illocaliter mota (1). »

Et alibi, cum dicit non corpus ab anima, sed animam a corpore relinqui, testem vocat Statium Papinium, qui non poetice tantum, sed et philosophice dixit :

> ...Odi artus fragilemque hunc corporis usum
> Desertorem animi (2).

Proinde postquam anima a corpore fuit deserta, sicut non localiter erat in corpore, nec localiter ab eo separata est, sic nec localiter erit extra corpus. « Non se nunc aliqua veluti corpuscula oculis mentis objectent, ut animas positis corporibus quædam loca aeris aut cujuslibet elementi occupare credamus (3)... Jam si tibi visionis hujusce sincerum veritate claruerit, nulla quæstionis difficultate jactabere, quatenus anima corpore posito illocaliter esse possit in mundo : quia sic erit illocaliter in qualibet mundi parte, sicut illocaliter fuit in corpore (4)... » Non quidem, ut Deus, mundi partibus omnibus aderit : verisimile est enim aliam mundi partem futuram esse justorum sedem, aliam

(1) Lib. I, cap. xxi, § 4, 75, 3 ; 724 C. — Cf. hoc omne caput xxi et cap. xx, et lib. III, cap. iii, iv, v (apud Migne iii et iv).

(2) Stat. *Theb.* VIII, v. 738. — Refertur lib. I, cap. xx, 71, 1 ; 722 D.

(3) Lib., cap. xxi, § 5, 76, 10 ; 725 B.

(4) Lib. III, cap. iii, § 4, 159, 17 ; 763 C.

futuram esse sedem impiorum (1) : certum animam non futuram esse mundo toti præsentem. At, in qualibet mundi parte anima sit, in ea nullum locum implebit, nec partibus sui partibus loci coæquabitur. Immo, etiamsi sint diversæ sedes justorum et impiorum, multo minus utrique inter se distabunt loco quam illocali sejunctione. Differentia enim meritorum erit illud chaos magnum quod firmatum esse inter utrosque in Evangelio legimus (2). Quippe impiorum mentes vi summa separabuntur a Deo quem nec videre valebunt neque amare; mentes vero justorum, quæ in corpore illocaliter peregrinabantur a Deo, nam pondere corporis ab ejus amore retardabantur, tunc ipsi illocaliter conjungentur, visione et affectu (3). « Cum justo namque, quantum ad corpus spectat, localiter esse injustus potest; injustus vero esse in innocentia justi, quoad usque injustus est, non potest. Unde quia post mortem nec pænitere cuiquam, nec peccare possibile est, inter

(1) Verisimile, inquam, Claudiano : aliis plerisque pro certo habetur. At Claudianus noster hanc sententiam tantummodo probabilem esse concedit. Sic enim adversarium alloquitur : « Animas sanctorum in intimis paradisi sedibus non usque improbabili sententia dicis habitare. » (Lib. III; cap. IX [apud Migne cap. VIII] : hoc caput legat qui volet melius cognoscere sententiam Claudiani de quæstione proposita.) Ceterum opinabatur Claudianus fieri posse ut justi ab impiis sola differentia meritorum et status separentur : possunt duæ animæ in eodem loco, hæc Deum videre, illa Deo privari. Pauci tamen scriptores christiani illocalitatem paradisi et inferni sic proposuerunt.

(2) Luc. XVI, 26. De hac historia divitis et Lazari, jam remisi supra ad S. Augustinum, *de Anima et ejus origine*, lib. IV.

(3) Nihil enim proprie abesse potest a Deo, vel Deo propius fieri, cum Deus ubique sit, et adsit omnibus rebus quæ sunt : anima abest a Deo, vel ipsi propior fit non more corporum, sed alio plane modo, sive illocaliter. « Proinde anima illa cum Deo est, quæ videt, hoc est, intelligit Deum. Et illa cum Deo non est, quæ utique non intelligit Deum. Deus autem et intelligenti et non intelligenti adest illocaliter. » (Lib. I, cap. XXII.)

7

salvatos et perditos intransmeabile dicitur chaos, indemutabilis status (1). »

Hæc dicta sint ad exponendum, Claudiano duce, qua ratione anima illocalis sit. Restat vero discutienda altera quæstio, scilicet quomodo anima se habeat ad motum per locum. Quæ quidem jam ex parte soluta est, cum diximus animam nec localiter in corpus intrare nec localiter ab eo egredi. At præterea docet scriptor noster, et sæpissime, eum motum, qui fit per loca, nullo pacto menti nostræ congruere. Locus enim velut proprius mentis nostræ est incorporea et illocalis veritas, æternus mundus in quo sunt omnium rerum formæ perennes, et cujus hic mundus noster imago est : locus animæ quodam modo Deus est : in æterno illo mundo et contemplatione æternæ veritatis stat anima, dum corpus movetur per locum, immo dum ipsa corpus per locum movet : neque ipsa communicat cum corpore hos motus, qui per locum fiunt.

Hæc et talia affirmat multis locis Claudianus (2), non semper satis clara et facilia intellectu. Ideoque jure iterum adnotare possumus eum hanc suam doctrinam de illocalitate animæ fecisse nimiam. Etenim, etiamsi dicatur, ut multi volunt, animæ non proprie competere moveri de loco ad locum, si anima in se ipsa spectetur, ut est spiritualis natura, fateri tamen necesse est ipsam aliqua ratione moveri, quia corpori huic nostro alligata est, quod per locum movetur. Septem vel octo seculis post Claudiani tempora doctores scholastici qui multum hisce quæstionibus de motu studue-

(1) Lib. III, cap. x (apud Migne, cap. ix), 171, 6 ; 768 D.

(2) Cf. inter cetera lib. I, cap. xviii. — Lib. III, cap. xiv (apud Migne, cap. xii).

rant, hoc confitebantur, et dicebant animam non ratione sui, sed « per accidens » moveri localiter, quia scilicet anima non est extra corpus, immo unum hominem efficit cum corpore, corpus vero mobile est.

Hoc quidem Mamertum concessisse credas, si hanc ejus sententiam, sejunctam a ceteris, talem legas qualem J.-P. Migne et alii ediderunt : « Unde datur intelligi animam per tempus illocaliter moveri, atque ab eadem corpus et temporaliter et localiter moveri; *eamdem vero a corpore localiter moveri* (1). » Equidem cuperem eam esse vere sententiam scriptoris. At D. A. Engelbrecht nuper edidit : « *eamdem vero a corpore localiter non moveri* (2) : » et, collatis aliis locis librorum *de Statu Animæ*, opinor eum veram lectionem omnino restituisse. Etenim ea verba quæ retuli, statim Claudianus explicat exemplo. Exponit quomodo, quando geometra aliquis tetragonum vel circulum in tabula describit, mens ipsius illocaliter contempletur ideam ipsam tetragoni vel circuli, atque interea moveat corporis membrum ad id figurandum localiter, quod ipsa in æterna veritate conspicit. « Stabit, inquit, anima in contemplatione formarum, ut moveat corpus in figuratione formabilium... Non autem credibile est quod, cum nutu animæ scriptoris manus ad scribendum movetur, anima quoque manus agitatione moveatur (3)... » Sic aperte declarat eam esse sententiam suam, animam scilicet, moto corpore, non

(1) Lib. I, cap. XVIII, § 1; 720 A.

(2) 65, 12. — Utrum hoc verbum : *non*, D. Engelbrecht sola conjectura fretus addiderit, an codicum auctoritate, nescio, et miror quod nihil hoc loco apposuerit in adnotatione critica.

(3) Lib. I, cap. XVIII, § 2, 66, 6; 720 C.

moveri. Fateamur ergo propugnatorem illum animæ incorporeæ, recte scripsisse et dictitasse animam non esse localem, hanc tamen sententiam ultra veri limites aliquando deduxisse, vel saltem verba nimia et immodica, quibus sæpius utitur, non satis sapienter explicasse.

Hucusque, dum discussimus qua ratione anima in loco sit aut moveatur, ipsius animæ substantiam inspeximus. Consideranda est autem ea quæ menti nostræ insita est cogitandi vis. Cogitatione enim suo modo movetur anima hominis : formas rerum omnium quas sensus quoquo modo percipiunt sibi effingit; novas ideas studio et doctrina sibi acquirit; varias notiones quas apud se invenit comparat; ab una ad aliam transit; res omnes, quascumque vult, etiam loco maxime dissitas, secum versat; mundi ambitum tacita meditatione percurrit. Sic valet mens nostra, dum tamen intra corpus manet, res universas quæ sunt velut colligere apud se, et, sine motu locali, per partes omnes spatii discurrere vel spatium ipsum complecti. Ideo, hæc cogitandi vis validum argumentum est, quo demonstrari possit animam nostram nec corpoream esse nec localem.

Diximus vero Faustum Reiensem falso sibi persuasisse incorporalitatem et illocalitatem eamdem rem esse ac præsentiam in omnibus locis. Quapropter sic argumentatur : Si anima incorporea esset, esset igitur ubique : cogitare igitur de amico absente esset hunc amicum, corpore remotum, ibi videre animo ubi esset (1); cogitare de aliqua mundi parte esset eam partem ibi

(1) Cf. *Epistolam Fausti*, et Claud., lib. I, cap. XXVII ; — lib. III, cap. X, XI, XIII, XIV (apud Migne, cap. IX, XI, XII).

videre ubi esset sita, et ubi simul adesset anima nostra. « Cum ergo, inquit, anima Alexandriam vel Hierosolymam cogitavit, si vere illic tota sui præsentia, ut arbitraris, interfuit, referat nobis situs locorum, vultus hominum, motus actusque populorum (1). » Atqui, cum clarum sit animam nostram non ibi esse ubi est res de qua cogitat, velut partam victoriam sibi Faustus gratulatur. « Quomodo non localis est [anima], quæ inserta membris et illigata visceribus, solis motibus vaga, condicione substantiæ tenetur inclusa? Quod si localem non esse animam ideo asserendum putes, quod per diversa sensibus evagetur et cogitationibus differatur, primum intelligendum est, quod aliud sit animæ status, aliud is qui de anima nascitur cogitationis affectus... Imaginari sibi aliqua potest, complecti simul omnia non potest... Ecce per hæc præsentis temporis momenta vos cogito et animo reminiscente vos video; sed omnimodis quid geratis, et utrum quieti an lectioni vel orationi vacetis ignoro. Sed hoc ideo evenit, quia ad vos cordis affectu, non ipsa substantiæ meæ veritate, pervenio (2). »

Si vellemus ex his verbis deducere quænam esset Fausti doctrina, et quomodo ipse cogitationis naturam intelligeret, munus difficile susciperemus. Patet quidem ipsum substantiam animæ a cogitatione distinguere : ad hoc quod attinet, — quamvis aliter sentiret Claudianus, — non pauci philosophi etiam magni nominis cum Fausto consentiunt. Hac vero quæstione omissa, mirum est quanta caligine mentem suam Lirinensis Abbas obvolverit. Quid sunt enim isti motus

(1) Apud Claud., 12, 4.
(2) Apud Claud., 11, 2; 12, 3; 12, 12.

animæ, istæ cogitationes quibus anima evagatur et defertur? Res corporeæ, ut anima ipsa est, an incorporeæ? Quomodo motus incorporei sint corporeæ substantiæ? Si corporei, quomodo possunt extra animæ substantiam ad res longe dissitas deferri et evagari? Qua ratione anima et solis motibus vaga est, et ipsa condicione substantiæ corporeæ tenetur inclusa? Hæc omnia objicit Fausto Claudianus, ipsumque sibi contradicere subtiliter ostendit, et ratiocinium ejus magno ingenii acumine lacessit (1). Nos paucis verbis agnoscamus auctorem libelli *de Creaturis* corporea de anima sensisse, ideoque obscura : cum enim et animam corpoream sibi effingeret, et motum ejus putaret modo corporeo fieri, non potuit nisi falsam doctrinam, et parum sibi ipsi concordem proferre.

Claudiani igitur fuit legentium mentes supra sensus et supra materiam erigere, et veram de illocali motu animarum doctrinam proferre. Corpus quidem anima cogitans non deserit, nec motibus suis se ipsam protendit extra corpus, eo modo quo bracchium aut pedem aliquis porrigeret; immo non fertur ad rem sibi objectam, eo modo quo fertur visus noster ad locum corporeum, ad quem sive hic locus propinquus sit, sive remotus, non pervenit nisi ope corporis alicujus interjecti (2). Alio prorsus modo movetur mens nostra ad res omnes quæ sunt. Ea vis enim ipsi insita est, incorporea maxime et illocalis, ut, absque ullo motu per

(1) Lib. III, cap. XIV (apud Migne, cap. XII).

(2) Nos corpus interjectum lumen esse dicimus. Id Claudianus dicebat esse et lumen externum, et particulas igneas in « ventriculo quodam cerebri » ortas et emissas per oculos. Vide lib. I, cap. VII et lib. III, cap. X et XI (apud Migne, cap. IX). — Cf. Apuleium, *de Mag.*, 15.

locum, absque auxilio ullius corporis interjecti et intermedii, rei cuicumque, vel extra omnem oculorum aciem longissime sitæ, cogitatione conjungatur : ejus tamen rei, quam cogitat, non videt corpus vel exteriorem figuram, ut oculus, sed naturam ejus intelligit, sive formam aut ideam, illud nempe quod in re unaquaque est immutabile atque æternum quodam modo, scilicet intelligibile. « Animi visio, ut sæpe dictum est nec iterare piget, intellectus est. Enimvero corporea intelligi nequeunt; sentiri ab anima per corpus queunt. Anima vero sicut per corpus sentit, ita per se intelligit. Eorum quæ sentiuntur atque intelliguntur substantia longe diversa est. Quo fit ut anima, quia non est corpus, quæque corporea nisi per corpus sentire non possit, videre autem per se quæ intelligenda sunt, possit (1). » His dictis, Claudianus mox solvit quæstionem Fausti, interrogantis cur anima, cum de urbe Alexandria cogitat, non videat hujus urbis vias et cives : hæc enim ad visum corporis pertinent, non ad visum intellectus. Ea porro quæ ad visum corporis pertinent, nequit anima videre nisi oculo ut instrumento utatur : si aliter esset, partes internas corporis quibus vitam ipsa tribuit, perpetuo videret. Unde non inficete respondet Claudianus : « Non ergo hisce frivolis sollciteris amplius, ut reare animum non esse illic ubi cogitat, quia contemplari per naturam nequit situs locorum, vultus hominum, motus actusque populorum : hæc namque corporea sunt. Porro autem animus incorporeus, quod contra naturam sui est, videre non potest. Eatenus tamen adest ubi cogitat, ut loca quæ

(1) Lib. III, cap. xi (apud Migne, cap. ix), quod integre legendum est.

cogitat corporali visione non cernat : sicut adest ubi vivificat, ut ipsa quæ vivificat sui corporis interna non videat (1). Ac si usquequaque patet, animum et corporea non posse videre sine corpore et incorporea cum corpore videre non posse, non diutius Alexandriæ peregrinemur, sed ab Ægypto redeuntes, transmisso errorum mari, et emensa ignorantiæ eremo, veritatis patriam atque uti terram repromissionis intremus : non otiosi neque inertes, neque vero trepidantes : ut si quid falsiloqui vanitatis vitio progenitum, aut latere tenus adstrepuerit, aut obvium sese dederit, Jesu prævio et adjutore feriatur (2). »

Solutam igitur hoc modo quæstionem accipiamus. Si quis tamen cupiat altius rimari hanc scriptoris doctrinam, et perspicere simul quam subtile ejus ingenium fuerit, legat varia hujus illocalitatis animæ exempla quæ Claudianus excogitavit, et non sine arte libris suis intexuit. Modo enim ille ostendit, non sine quadam philosophica severitate, quomodo amicus, cum de amico absente cogitat, illocaliter ipsi conjungatur (3);

(1) Hæc quidem disparia sunt. Non enim eodem modo adest anima locis de quibus cogitat et corpori quod vivificat : corpori physice, ipsa sua substantia, adest, locis autem remotis non adest substantia sua, sed potius eorum locorum ideas apud se versat. Disparia igitur exempla non satis recte conjunxit Claudianus. Absit tamen ut opinemur eum credidisse, id quod dicere videtur, animam physice adesse locis quæ cogitando videt. Non potuit tam solers ingenium tanto in errore versari.

(2) Lib. III, cap. XI, 175, 11 ; cap. IX, § 3, 771 A.

(3) « Non ulterius isto jacteris incerto, ut si carum tuum, sicut ipse dicis, absentem cogitas, idcirco eumdem, quia tibi corporaliter non apparet, credas absentem ; quia si tibi in illa sui parte carus est, qua uterque homines estis, et qua vosmet vicario amore diligitis, ita tibi ille præsens est, ut tu ipse tibi. » Lib. I, cap. XXVII. — Austeram amicitiam, et re vera nimis illocalem !

modo animam depingit stantem in formarum et æternæ veritatis contemplatione (1); modo describit eamdem animam a sensibus et a rebus quæ corpus circumstant illocaliter abscedentem, et alias cogitatione evagantem (2); modo illocalitatem mentis eo demonstrat quod Deus neque intelligi nec videri possit a substantia corporea et locali (3); modo ipsum Dei Verbum inducit homines alloquens, et illocalitatem cogitationis monstrans ex illocalitate ipsius verbi et sermonis humani (4). Lectorem demum adhortatur, non sine magna vi eloquentiæ, ut hanc vocem Dei audiat, quæ in silentio menti nostræ loquitur, ut Deum in se attendat præsentem, nec dubitet in anima sua divinam similitudinem, simplicitatem scilicet, et naturam corpore præstantem agnoscere. « Ecce quod habitat in anima humana : ecce quod oculo cordis videre concessum est. Quo diffugimus, quo distrahimur, cur in nobismet ipsis extra nos sumus ? Cur patriam nostram localiter quærimus, de qua utique non ambulando, sed peccando discessimus ? Cur tenebras splendere credimus, quas videre ipsum est utique non videre ? Veritatem certe quærimus : non illam per spatia locorum oportere quæri, non per corporeum aliquid æstimes inveniri. Satis ex corpore non solum tangendo, sed etiam cogitando se separabit, qui huic adhærebit. Illocale certe quærimus, non illud quæso per locale quæramus. Fecit sibi ipsa veritas sui compotem similitudinem. Hoc in nobis afferamus illi quod fecit. Non conviciemur Deum nostrum,

(1) Lib. I, cap. XVIII, XXII, XXV.
(2) Lib. I, cap. XXIII.
(3) Lib. I, cap. XIV. — Lib. III, cap. VI (apud Migne, cap. V).
(4) Lib. I, cap. XXVI.

dicentes illi : Non potuisti facere aliquid simile tui; quia, si corpus sum, similis tui non sum. Quia de nobismet ipsis nos ille convincet (1). »

§ V. — CONCLUDITUR CAPUT DE TEMPORE, LOCO ET MOTU.

Philosophia est scientia Dei et hominis et mundi universi : quæ quidem res tam præclaræ sunt, ut philosophica doctrina nobis placeat etiam cum unius tantummodo ex illis, longis et acutis disputationibus, naturam altius investigat et rimatur. Tunc vero maxime philosophia magnum quid videtur, tunc nos ad studium sui commovet, cum hæc tria, Deum, hominem, mundum universum, uno velut prospectu nobis ostendit, eorumque naturam, et ordinem quo inter se conjunguntur, magno quodam et conspicuo lumine illustrat.

Hoc facit Claudianus, cum, discussis variis quæstionibus quæ ad tempus, motum et spatium pertinent, Deum nobis ostendit extra tempus omne et locum consistentem, et omnia quæ sunt stabiliter moventem; rerum vero creatarum quasdam a Deo per tempus tantummodo motas; quasdam et a Deo et a spiritibus motas per tempus et per spatium. Hæc porro declarat in illo suo schemate quod in fine librorum *de Statu Animæ* reperimus (2) :

(1) Lib. I, cap, xxv, § 5, 93, 22 ; 733 D.
(2) In fine *Epilogi* ad Sidonium.

« Deus summum bonum, sine qualitate, movetur sine tempore et loco;

» Spiritus, magnum bonum, cum qualitate, movetur in tempore sine loc

» Corpus, bonum cum qualitate et quantitate, movetur localiter et temporaliter. »

Quod quidem schema ut vere philosophicum laudandum est : sic enim recte concluditur hæc omnis disquisitio de loco, tempore et motu (1).

At præterea hunc rerum omnium quæ sunt ordinem, veteres amabant non solum ratione videre et verbis declarare, verum et comparationibus quibusdam et mysticis imaginibus. Jam igitur exponenda sunt quædam subtilia magis et recondita : quæ tamen dicenda videntur, tum quo facilius legi et intelligi possit Claudianus, tum quo clarius appareat quomodo sibi rerum omnium prospectum effinxerit. Putat igitur ille mystice intelligendum esse locum, in christianis Scripturis notissimum, in quo narrat Paulus Apostolus se raptum esse ad tertium cælum : dicit enim terram nostram, vilem et corpoream, in infimo rerum gradu consistere, et circum ipsam moveri per tempus et locum cælum illud quod oculis videmus, in quo sunt sol et luna et planetæ et stellæ, quod cælum terrenum dici potest, quia corporeum est (2); supra hanc terram et hoc cælum, alterum cælum esse, scilicet cælum cæli, quod per tempus non per locum movetur, angelicas nimirum et

(1) Cum Claudiani schemate cf. S. Augustinum, lib. VIII *de Gen. ad litt.*, cap. xx.

(2) Cælum corporeum circa terram localiter moveri, ut omnes illo tempore, Claudianus arbitrabatur. Duos alios huic superjectos esse dicit non localiter, sed mystice, ut ipse declarat.

humanas mentes; denique supra creata omnia cælum esse Dei ipsius, mundum potentia et sapientia sua circumdantis. Primum igitur cælum est in tempore et loco; secundum in tempore tantum; tertium extra locum et tempus. « En tibi terram, inquit, omnem corpoream creaturam (1) : en tibi cælum, incorpoream intellectualemque substantiam. Nunc igitur ut possis per duos cælos usque in tertium cælum Paulo præeunte raptari, incorporeo tui universum transmitte corporeum. Postque, etiam incorporeum creatum idemque mutabile, acriore admodum nisu et volatu perniciore transcende; atque abhinc in tertium cælum, in ipsius immutabilis incorporei beatissima contemplatione requiesce : teque, humana anima, incorpoream nosce, cui pro naturæ excellentia promptum est simul et congruum, inter ima vel summa, tui tanquam mediante substantia, vel infra despicere corpus imum, vel supra conspicere Deum summum (2). »

Ceterum satis superque nos admonet Claudianus hanc cælorum distinctionem non localem esse : cavet enim ut hæc omnia spiritualiter, non corporaliter et localiter, intelligamus : immo probare intendit hos tres cælos, de quibus sanctus Paulus loquitur, non posse intelligi nisi allegorico sensu. Si tamen hujus syste-

(1) Scilicet primum cælum, quo Claudianus complectitur simul terram nostram et cælum corporeum.

(2) Lib. II, cap. XII, § 8, 150, 9; 759 B. — Illud est systema Claudiani de modo intelligendi quod in Scripturis de diversis cælis dicitur. Idem invenimus apud Augustinum, lib. XII *Confess.*, *passim.* (Vide imprimis, cap. II); — *de Genesi ad litt. lib. imperf.*, cap. III; — *de Genesi ad litt.*, lib. I, cap. I. — Hæc consensio S. Augustini cum Claudiano in ea quæstione multum facit ad probandum quam studiose Augustinum Claudianus secutus sit. Ceteri enim Patres alio modo exposuerunt cælorum distinctionem.

matis imago aliqua corporea oculis subjicienda esset, et si tentaremus illocalem distinctionem localibus differentiis exprimere, et mundum universum depingere aliquo mystico schemate, pingeremus, secundum Claudiani doctrinam, terram infra res omnes subjectam et ipsi cælum corporeum et terrenum circumvolutum : huic cælo superjectum cælum Spirituum a Deo creatorum ; duobus primis cælis et rebus omnibus quæ sunt Deum ipsum superfusum et supereminentem. Tales imagines describere, si non Mamertus, rebus omnibus corporeis infensus, at alii quidam inter Christianos artifices adamarunt (1).

Nec minus tamen veteres usi sunt imagine prorsus diversa, ut hunc eumdem rerum ordinem ostenderent. Sæpe enim Deum depinxerunt ut punctum immotum, quod centrum rerum omnium esset ; res creatas et mutabiles ut sphæras, quæ circum Deum moverentur, quædam propius Deo et velocius, quædam longius et lentius, prout motus earum perfectior esset vel imperfectior, scilicet prout per tempus tantummodo vel per tempus et spatium moverentur.

Apud veteres enim invenimus centrum in circulo permultis laudibus allegoricis ornari, eo quod aliquo modo repræsentet Deum, in medio orbis creati constitutum. Legas Augustinum, de *Quantitate Animæ* : « Hoc est, quod nullam divisionem patiatur, et punctum vocatur, cum medium tenet figuræ... Vides certe etiam quantum valeat... Cum ceteris planis figuris... eam præponendam ratio demonstraverit quæ circulo

(1) Cf. Dantem, cum notis D. Leontii Mesnard ad cantum XXVIII *Paradisi*. (*La Divine Comédie*, traduction nouvelle par M. Mesnard, t. III, pp. 548-9.)

clauditur, propter summam æqualitatem, quæ alia ipsius æqualitatis moderatio est, quam punctum in medio constitutum? Multa de hujus potentia dici possunt, sed adhibeo modum, et tibi ipsi cogitanda plura permitto (1). » Iisdem fere verbis Claudianus, semper Augustino vicinus, dicit : «... Sine his, [longitudine, latitudine et altitudine,] punctum semper est, nec cujuspiam ut sit indiget, quia unius nullum potest esse principium. Circulus igitur una eademque circumflexa fit linea; sed sicut in trigonis et tetragonis per angulos puncta sunt, quibus figurarum ratio consistit; sic in circulo, ejus medium puncto possidebitur, ut circulus rata dimensione formetur. Nam cum unum circini radium fixeris atque alium a centro extrinsecus circumduxeris : attende quantum potes centri potentiam a stabili radio illum qui circumagitur radium regere, et illic ubi localiter non est potentialiter circulum figurare (2). »

Si hæc verba attendas, et reliquam scriptoris doctrinam inspicias; si perpendas hinc Claudianum dicere puncti nullum esse principium, et magnam esse centri potentiam, et centrum illic ubi localiter non est potentialiter circulum figurare; ex altera vero parte, illum dictitare Deum principium esse sine principio, et Deum omnia quæ sunt circum se movere immotum, et Deum, quamvis neque in loco sit neque in tempore, virtute tamen tempus omne et locum continere et moderari: procul dubio senties virum talia

(1) S. Aug. *de Quantit. Anim.*, cap. XI : *Figurarum præstantia*, et cap. XII : *Puncti potentia*, — apud Migne, t. XXXII, col. 1046.

(2) Lib. I, cap. XXV, § 3, 90, 21; 732 B. Multa hoc capite dicuntur de punctis, lineis et figuris geometricis, omnino similia his quæ habentur apud Augustinum, *de Quant. Anim.*, cap. VIII *et seq.*

scribentem mente conspexisse analogiam illam inter Deum, mundi centrum, et punctum, quod centrum circuli est. Quam notissimam et pervulgatam analogiam, sic, ut puto, veteres intelligebant: Ut centrum circulum omnem vel sphæram quodammodo producit et figurat, (quia uniuscujusque partis linearum locum et situm radius definit et determinat, radius autem a centro pendet,) sic Deus mundum universum extra se et circum se facit et explicat; ut centrum, unum in se et nulli divisioni obnoxium, principium est quodammodo partium quæ in circulo vel sphæra numerantur (1), sic Deus unus in se et indivisus, principium est omnium partium, quæ tum in tempore tum in loco numerantur; ut centrum, dum in se tantummodo movetur, nec transit de loco ad locum, movere valet plures sphæras circum se, (hoc enim in machinis videtur,) sic Deus in se vivens, sed prorsus immutabilis, omnes movet orbes rerum creatarum, illos velocius qui per tempus tantummodo moventur, lentius illos qui moventur et per tempus et per locum.

Aristoteles porro, primus omnium philosophorum qui Deum depinxerunt immotum cetera quæ sunt per tempus et spatium moventem, et Claudiani magister in ea parte quam hoc capite exposuimus, egregie dixerat, eadem imagine usus: « Ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις (2). »

(1) Quia circulus radio figuratur, radius a centro sumit initium, ut modo dictum est.

(2) *Metaph*, lib. XI, cap. VII; in edit. Didot, tom II, p. 605, lin. 35; in edit. Berolinensi Bekkeri, p. 1072.

CAPUT V.

DE NUMERO PONDERE ET MENSURA, ET DE RELATIONE QUAM EA HABENT AD ANIMAM HOMINIS.

§ I. — PRÆNOTANDA.

Cum inciperemus, Claudiano duce, disserere de motu, loco et tempore, jure dicebamus nihil esse his rebus ipsi vulgo notius, nihil tamen aut fere nihil magis in philosophia reconditum. Idem fere pronuntiandum est de his quæ nunc tractanda suscipimus, scilicet de numero, pondere et mensura. Magna ista sunt in philosophia, et ea inter se multis modis connexa sunt et rebus permultis admiscentur, imprimis vero motui, tempori et spatio. Pondus enim pertinet ad res corporeas et extensas per locum, et eas res in loco suo continet, et eas aliquando ad motum ciet, cum scilicet facit ut decidant. Mensura vero convenit et loco et tempori et motui et ponderi: hæc enim omnia, suo unumquodque modo, mensurantur.

De numero demum quot dicenda veniunt! Numero

exprimere solemus rerum pondus, numero rerum mensuram, numero spatium et locum omnium quæ sunt. Cum motu autem et tempore numerum arctissimo vinculo conjungi satis apparet, vel ex hoc quod tempus ipsum Aristoteles diceret *numerum motus*.

Præterea, in rebus singulis et unitatem quamdam percipimus, qua rem quamque videmus unam in se constare et a ceteris esse distinctam; et simul cum hac unitate numerum quemdam, sive hic sit numerus partium, sive successio plurium actionum. Et ubi partes plures inter se recte concinunt ad aliquid unum ordinate effingendum et componendum, jam pulcri blanda specie delectamur et harmoniam sive numerum rei inesse dicimus (1). Numero enim quodam nos oblectant artes liberales : nec tantum inest numerus poesi, musicæ, saltationi, verum, ut arbitror, in ceteris artibus latitat, in pictura, in sculptura, in architectura.

Quid demum numerum esse dicamus ? Vel quomodo distinguere valeamus tot et tam diversa genera numerorum ? Aliud enim est numerus unus, quo repetito ceteri fiunt, aliud ceteri numeri omnes, qui, ut ait Claudianus, « ex uno et per unum et in uno (2) » fiunt; aliud numerus rerum quas videmus, aliud numeri ipsi, per se inspecti, quibus numeramus. Hinc multi philosophi, cum viderent rebus omnibus numerum aliquem inesse et numerorum naturam difficilem esse intellectu, ibi suspicati sunt aliquod subesse mysterium,

(1) Minime hic volui definire quæ sit pulcritudinis essentia : adnoto tantum plerisque rebus, si non omnibus, quæ pulcræ sunt, aliquem numerum inesse.

(2) Lib. I, cap. xxv, § 5, 92, 26 ; 733 B. — Verba pluries repetita hoc loco.

quo intellecto multa jam nobis in rebus clara et aperta fierent. Clarissima omnium fuit in hoc genere Pythagoræ schola, quæ numerorum naturam tam alte scrutata est, et tam subtiliter de iis disseruit. Hi quidem philosophi multa, ut arbitror, vera conspexere, multas ad verum exprimendum translationes et similitudines e numeris duxerunt; sæpe etiam frustra laboraverunt, dum secreta, mysteria, res arcanas, ibi indagabant, et perobscure exponere tentabant, ubi nihil fuerat inquirendum.

Qualiscumque fuerit hæc de numeris scientia, inventi sunt plures inter scriptores christianos, qui huic aliquid operæ tribuerent. Notus in hac parte ante ceteros S. Augustinus, qui, quamvis nosset puerile aliquid in hac doctrina a multis reprehendi, se tamen ipsi in quibusdam adhærere fatebatur. Hæc enim ipse profitetur in libro *Confessionum* decimo : « Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus quos numeramus : sed illi alii sunt quibus numeramus, nec imagines istorum sunt; et ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem qui eos non videt; et ego doleam ridentem me (1). »

Claudianus neminem magis secutus est quam S. Augustinum : neque Augustinum solum legerat, sed et veteres philosophos e schola Pythagoræ. Laudat enim Philolaum cui opus adscribit (2) « περὶ ῥυθμῶν καὶ μέτρων », et Archytam Tarentinum « *de rerum Natura* », et Hipponem Metapontinum (3). Nominat et

(1) *Confess.*, lib. X, cap. XII, — in Patrologia J.-P. Migne, t. XXXII, col. 787.

(2) Errare videtur Claudianus dum hoc opus adscribit Philolao : eum tamen certo errare, cum opera nunc deperdita præ manibus haberet, non ausim affirmare.

(3) Sic scribo cum D. Engelbrecht, et sic legendum esse videtur ex

alios Pythagoreos, Archippum, Epaminondam, Aristeum, Gorgiadem et Diodorum (1). Ex his omnibus et ex Augustino suo Mamertus multa decerpserat, pertinentia tum ad numerum, tum ad pondus et mensuram, quædam bona et optima, quædam subtilia nimis et obscura. Obscuritatis exemplum si requiras, legas in libro primo finem capitis vigesimi quinti (2) : ubi de unitate et de triplici modo quo unitas in omni numero inveniatur nonnulla recte disserit, at pleraque subtilius quam ut facile possint intelligi.

His vero omissis, discutienda est pars illa libri secundi *de Statu Animæ*, in qua scriptor de numero, pondere et mensura copiosius et aliquanto melius disserit (3). Quomodo ad hanc quæstionem tractandam adductus sit, jam declaravimus, cum placita Fausti Reiensis referremus. Diximus enim abbatem Lirinensem in suo libello hunc locum Scripturæ retulisse, in quo Deus dicitur « omnia in numero, et pondere et mensura disposuisse », et inde sumpsisse argumentum ut ostenderet naturam animæ esse corpoream (4). Deus enim, qui omnia disposuit in numero,

codicibus. Apud Migne et alios : ***Eromenem Tarentinum.*** Apud Schottum : ***Hippomenem Tarentinum.*** Quæ tria nomina pariter, ni fallor, ignota sunt. — Conjicere liceret : ***Hippasum Metapontinum***; at Diogenes Laertius, lib. VIII, ad hoc nomen : Ἵππασος, dicit: Φησὶ δὲ αὐτὸν [Ἵππασον] Δημήτριος ἐν Ὁμωνύμοις μηδὲν καταλιπεῖν σύγγραμμα.

(1) Hos omnes testes appellat lib. II, cap. VII. Nonnulli inter eos non sunt aliunde noti, quam ex Claudiano.

(2) Lib. I, cap. XXV, § 5. Claudianus dicit, ut puto, unitatem in omni numero tripliciter inveniri, quia numerus omnis a numero uno incipit, et per unius additionem augetur, et in unum colligitur : « ex uno, per unum, in uno. » Addit numeros sine fine augeri et multiplicari posse. Hæc poterant simplicius dici.

(3) Lib. II, cap. IV, V, VI, VII.

(4) Fausti argumentum retulimus cap. II, § 2, sub n° 8°.

pondere et mensura, hoc modo debuit et animam hominis disponere : ubi vero numerus est, partes sunt profecto quæ numerentur; ubi pondus, ibi materia coagmentata; ubi mensura, ibi extensio. Faustus enim non se extulerat supra sensus et sensibilia, neque intellexerat numerum, pondus et mensuram, aliter dici posse quam notione propria et corporea.

Respondet Claudianus in omni re numerum, pondus et mensuram inveniri, modis tamen valde diversis pro varietate rerum (1) : quod ut explanet, necessarium ducit rem altius repetere, et sic de numero, pondere et mensura suam doctrinam, non pythagoricam

(1) Poterat Claudianus facilius respondere, scilicet negare locum Scripturæ, allatum a Fausto, quidquam valere in quæstione de anima. Hæc enim verba in libro Sapientiæ, ubi leguntur, non dicunt per se ipsa Deum creasse omnia in mensura et numero et pondere, sed Deum, in ratione qua peccatores corripit et justos deducit, omnia sapienter, congruis temporibus et justissimo modo temperare. En locum : « Sed et sine his, uno spiritu poterant [Ægyptii] occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, et dispersi per spiritum virtutis tuæ : sed omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. » (*Sap.* XI, 21.) Multi tamen inter scriptores christianos hæc pulcerrima verba ad omnem creationis rationem accommodarunt : huic enim optime conveniunt : etenim, dum opera Dei scrutamur, omnibus videmus inesse mensuram, numerum et pondus.

Illud naturali lumine perspici potest, et illud optime intellexerat Philolaus ille Pythagoricus, de quo Claudianus : Inter Pythagoræ posteros « floruisse Philolaum reperio Tarentinum, qui multis voluminibus de intelligendis rebus, et quid quæque significent oppido obscure dissertans, priusquam de animæ substantia decernat, de mensuris, ponderibus et numeris, juxta geometricam, musicam, atque arithmeticam mirifice disputat, per hæc omne universum exstitisse confirmans, illi videlicet scripturæ consentiens, qua Deo dicitur : Mensura, pondere et numero omnia disposuisti. » (Lib. II, cap. III, § 1.)

Ne quis igitur dicat nos in hoc capite theologicam quæstionem tractare, eo quod loco quodam Scripturæ innitatur doctrina Claudiani. Patet enim hunc Scripturæ locum eo tantummodo sensu accipi, quo aliquid exprimit maxime in philosophia verum, et exponi argumentis e sola ratione desumptis.

tantum, sed vere platonicam profert, cujus hæc summa est :

Si omnia Deus creavit in numero, pondere et mensura, non ergo numerus et mensura et pondus creata sunt, sed hæc jam aliquo modo in Deo exsistebant, ad quorum normam omnia disponeret. Deus igitur omnia fecit ad imaginem numeri et ponderis et mensuræ, quæ in Deo sunt, vel quæ Deus ipse est aliquo modo : ita ut animæ hominis, quæ ipsius imago est, numeri et ponderis et mensuræ quæ sunt ab æterno, Deus tribueret imaginem : vestigium vero earumdem rerum tribueret corporibus.

Hanc doctrinam, Claudiano duce, evolvamus et dicamus de numero, pondere et mensura : in Deo ; — in corporibus ; — in anima demum hominis, de qua in hoc opere agitur, et cujus studet scriptor variis modis ostendere naturam.

§ II. — DE MENSURA, NUMERO ET PONDERE IN DEO.

Primum omnium ostendit Claudianus numerum ipsum, et pondus et mensuram non esse creata, si secundum ea Deus omnia disposuit. « Videamus, inquit, mensura hæc, pondus hoc, numerus hic, ubinam loci fuerint, quandove esse cœperint, ut ad istorum quasi exemplar Deus universa formaret ? Si nihil increatum nisi creator est, hæc ergo creata sunt. Si creata sunt, non igitur omnia Deus mensuris, numeris,

ponderibusque disposuit : quandoquidem hæc ipsa non secundum ista formavit. Sed auctoritati divinæ obviare nefas est. Numeris ergo, ponderibus et mensuris universa creata sunt. Mensura ergo, pondus et numerus creata non sunt : non enim secundum eadem creata sunt omnia, si et ipsa creata sunt (1). »

Earum igitur rerum ideam aliquam summam et æternum exemplar in eo quærere oportet, qui solus æternus est et increatus. In omnibus enim rebus creatis quæ finitæ sunt, et circumscriptæ tempore et loco, vel etiam solo tempore, mensuram aliquam certam, numerum aliquem, pondus quoddam reperire est : nulla tamen ex his rebus numerus est ipse, vel pondus vel mensura. Hoc pergit exponere Claudianus, adhibita doctrina platonica de ideis : « Hic omnibus cogitandi viribus enitendum est ut quoquo modo possit agnosci, non hoc esse pondus principale quod penditur, sed quo penditur ; nec eumdem esse numerum qui numeratur, sed quo numeratur ; nec mensuram quæ metitur, sed qua metitur. Sicut item non hoc est magnitudo quod magnum, nec hoc æquale quod æqualitas, nec hoc pulcritudo quod pulcrum. Nihil enim creatum per se magnum est ; sed ex minoris comparatione magnum aliquid dicitur. Hinc est quod montem parvum dicimus, et grande milium : grandem

(1) Lib. II, cap. IV, § 1, 111, 9 ; 741 C. — Aliquid obscuritatis gignit in hoc ratiocinio hypothesis : « Si numerus, pondus et mensura creata sunt... » Hæc enim per se creari non possunt : creari possunt tantummodo res numerabiles, ponderabiles, mensurabiles. Simplicius dixisset Claudianus : Rebus omnibus creatis videmus inesse numerum, pondus et mensuram. Atqui Deus non potuit hæc creaturis suis indere, nisi in se ipso habeat ideam aliquam increatam et exemplar æternum numeri, ponderis et mensuræ. Sic ad eamdem conclusionem via planiore devenitur. Ceterum sic fere procedit auctor in secundo ratiocinio.

quoque muscam, et bovem parvum. Cum vero ad ipsam creatricem venitur magnitudinem, quia comparari non potest, nec major, nec minor est. Sic et in his principalibus formis ratio par est, quas Plato ideas nominat. Nam secundum eamdem quadrandi legem fabricamus et quadratam tabulam et forum quadratum : et cum forum majus quadratum sit, non tamen magis quadratum est. Hinc capias oportet indicium illius non pensi ponderis et immensurabilis mensuræ, et innumerabilis numeri ; quæ tria simul æquiterna, semper individua, ubique et ubicumque tota, unus Deus sunt (1). »

Denique alio etiam ratiocinio probat Claudianus esse extra et supra omnia quæ creata sunt formam aliquam numeri et ponderis et mensuræ. Huic quidem argumento vim inesse, ii negabunt qui admittunt res exsistere numero aut mensura infinitas, ut quidam etiam nunc spatium vere infinitum esse existimant. Videamus tamen quomodo Claudianus procedat. In ejus doctrina, universa quæ creata sunt, eo modo quo exsistunt, sunt finita. Si igitur hæc omnia, et omnes horum omnium partes numerare quis potuerit, numerum finitum inveniet ; si quis etiam omnia quæ sunt ponderare et mensurare potuerit (pro uniuscujusque natura), pondera finita et mensuras certas reperiet ; perveniet quoque ad fines illius spatii quo sidera universa continentur, extra quos fines nihil est jam quod mensurari queat : etenim « quoniam extra omnem locum locus esse non potest, localis mensura ubi locus nullus est, non accedit (2). » Attamen, etiamsi quis noverit rerum

(1) Lib. II, cap. IV, § 1, 111, 18 ; 741 D.
(2) Lib. II, cap. IV, § 2, 113, 5 ; 742 C. — Sic legendum cum D. Engel-

omnium quæ sunt et numerum et pondus et mensuram, clare simul noscet alia posse sine fine creari, et augeri posse sine fine rerum numerum et pondus et mensuram. Exsistit igitur extra omnia numerabilia, ponderabilia et mensurabilia, ratio aliqua numeri et ponderis et mensuræ, qua cognoscimus res novas sine fine posse numerari, et ponderari et mensurari. « Cum desit, inquit Claudianus, quod metiri possit, quo possit metiri superest, quia, finito mensurabili, immensurabilis mensura non deficit. Eatenus equidem ratio ponderis, eo quod pendi potest cessante, non interit. Et numerus, finito numerabili, non finitur (1). »

Rursus igitur concludimus esse ab æterno ideas illas numeri et ponderis et mensuræ, non quidem per se subsistentes, sed, ut ideæ omnes rerum, in uno et æterno Deo. Forma enim quædam omnium numerorum est in illa divina unitate, quam Deus ipse novit et quam videt innumera rerum genera, quæ ipsam aliquo modo repræsentent, virtute sua continentem ; forma mensuræ est in intellectu divino, quo Deus omnia quæ fieri possunt concipit, et unicuique rei modum statuit suæ naturæ et suarum virium ; forma ponderis est in illa divina voluntate, qua Deus se ipsum necessario diligit et omnia in se ipso, et res omnes ad bonum unicuique proprium, et ultimo ad se, summum bonum, dirigit.

Talia ratio ipsa docet. Claudianus autem, christianus philosophus, cum rationem a fide nequaquam sejungeret, non dicit numerum, mensuram et pondus in

brecht. In edit. Migne : « Localis mensura ubi locus est, non accedit, » quod sensu caret.

(1) Lib. II, cap. IV, § 2, 113, 7 ; 742 C.

Dei natura, et intellectu et voluntate subsistere, sed, theologica doctrina usus, ea dicit subsistere in Patre et Filio et Spiritu Sancto, ita ut triplex illa res quæ in omni creatura Dei invenitur, summa et ultima sua ratione in ipsa divina Trinitate radicetur. Divinam enim unitatem et rationem numeri Mamertus Patri attribuit (1); Filio divinum intellectum et rationem mensuræ; Spiritui Sancto divinum amorem et rationem ponderis. En ipsius verba : « Incorporaliter cuncta supereminens unitas præcelsissimæ Trinitatis mensura est, ut aiunt, sine mensura, et pondus sine pondere, et numerus sine numero. Pondus ergo, quo hæc eadem secum ineffabiliter unum sunt, caritas est Patris et Filii, quoniam (2) Spiritum Sanctum Apostolus proprie insinuans : Caritas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (3) : evidenter ostendens isto pondere, divina scilicet caritate, illum ineffabilem numerum illamque mensuram illo stabiliter ferri quo tale pondus accesserit. Igitur tria hæc inseparabilia sunt in corpore, sed multo magis in anima; et individua sunt in anima, sed multo magis in se. Et sicut nihil sine uno creatore, hoc est ipsa Trinitate, exstitit; ita nihil omnino esse potest, quod non et trifarium subsistat, et unum sit. Omne scilicet corpus et unum erit, et mensurabile erit, et numerabile, et ponderabile ; et omnis anima rationalis tribus indi-

(1) Cur Patri rationem numeri attribuat, non satis clarum est. Advertamus apud Plotinum Patrem dici *Unum* : multum tamen differt Trinitas Plotini a christiana Trinitate.

(2) Textum D. Engelbrecht nolo mutare. Huic tamen lectioni antepono eam quæ in omnibus *mss*, uno excepto, invenitur : « *Quem* Spiritum Sanctum.... »

(3) *Rom.* v, 5.

viduis, memoria, consilio, voluntate subsistit, quibus capax est mensuræ, ponderis et numeri...... Permanat ergo a summo, quod Deus est, per medium quod anima, ad imum, quod corpora, unitæ specimen Trinitatis, corporibus signa sui imprimens, animabus etiam notitiam tribuens : illa formans visibiliter, has intelligibiliter (1). »

Illis Claudiani verbis facile esset similia invenire apud alios christianos scriptores (2). Licet quidem theologiam non sejungere a philosophia et ex utraque unam doctrinam conficere : modo tamen qui hac via ac ratione procedit recte distinguat quæ a philosophia, quæ a theologia mutuetur, ne uni scientiæ attribuat ea quæ ad alteram pertinent : utraque enim cum altera conjungi potest, non debet confundi. Aliquid porro in hac parte peccavit Claudianus. Cum enim videret vestigia quædam divinæ Trinitatis rebus creatis impressa, fieri posse putavit (quamvis id difficillimum esse dicat), ut homo ab horum vestigiorum contemplatione ad ipsam Trinitatem adscendat, et tam altum christianæ fidei mysterium sola ratione inveniat et demonstret. Non cavit scilicet ab hoc errore in quem, octo post ipsum seculis, incidit Raymundus Lullus, et, philosophiæ fines prætergressus, ad humanam scientiam pertinere arbitratus est ea quæ scientiæ theologicæ sunt propria. Hunc errorem, quem scriptori nostro quidam vitio verterunt, unico loco et obiter profert Claudianus. Dicit enim Platonem, vi ratiocinii, ad notitiam Trini-

(1) Lib. II, cap. VI, 118, 18 ; 745 A.

(2) Cf. S. Augustinum, VI *de Trinit.*, cap. x, et *alibi passim ;* — S. Bonaventuram, *Itinerarium mentis ;* — S. Thomam, Iª part., quæst. XLV, art. 7º : *Utrum in creaturis sit necesse inveniri vestigium Trinitatis.*

tatis pervenisse, rem posse fieri hoc ipso exemplo insinuans : « Quo fit ut mirari admodum digne nequeam hujus Platonis animum qui tantis equidem seculis ante puerperium Virginis, ante incarnationem Dei, ante hominis resurrectionem, ante prædicatam summæ Trinitatis in gentibus unitatem ineffabilem, una tres in divinitate Personas, laudabili ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio, quæsivit, invenit, prodidit : Patrem Deum paternamque mentem, artem sive consilium, et utriusque horum amorem mutuum, unam, summam, æquiternam, indivisam divinitaten, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse convicit (1). »

His dictis de ideis numeri, ponderis et mensuræ, et de ratione qua eæ in Deo subsistunt, jam videndum est quomodo earum vestigia vel imagines in rebus quæ factæ sunt, tum in corporibus, tum in spiritibus, inveniantur.

§ III. — DE MENSURA, NUMERO ET PONDERE CORPORUM.

Ut patet ex præcedenti doctrina, corpora nec mensura sunt, nec numerus, nec pondus, nisi abusu quodam verborum, ut cum dicimus unciam esse pondus,

(1) Lib. II, cap. VII, § 3, 122, 11 ; 746 D. — Dixerunt quidem alii scriptores christiani mysterium illud ex vestigiis Trinitatis quæ rebus insunt, vel posse agnosci, si jam aliunde notum sit, vel fortassis, quanquam aliunde ignotum, posse obscure aliquo modo præsentiri : ulterius procedit Claudianus, cum dicit Platonem vi sola ratiocinii divinam Trinitatem demonstrare : « Ita esse convicit. »

decempedam esse mensuram. Re autem vera vel uncia vel decempeda, vel corpus quodcumque, non mensura est, sed res mensurabilis, non numerus, sed res numerabilis, non pondus, sed res ponderabilis (1). Hæc subtiliter docet Claudianus. Debuerat tamen concedere vel unciam vel decempedam esse vere pondus vel mensuram, ubi conferuntur cum aliis corporibus ponderandis vel mensurandis. At iterum atque iterum ostendere voluit nullam rem corpoream esse numerum per se sumptum, vel per se pondus, vel per se mensuram.

Ceterum qua ratione corporibus insit mensura et numerus et pondus, omnibus notum est, et, si non philosophica notione, at saltem vulgari quodam conceptu facillime capitur. Jam enim sæpius diximus et corpora esse per locum extensa, et Claudianum hanc extensionem ita propriam corporibus judicare ut eam fere cum essentia corporum confundat. Atqui corpus esse extensum per locum et mensurabile esse, idem est prorsus. De mensura igitur in corporibus nihil amplius dicendum esse videtur; nisi fortasse Mamertus obiter laudandus est, eo quod recte agnoverit nihil esse in ea corporum magnitudine absolutum : non potest enim corpus dici tanta mensura præditum, nisi aliorum corporum comparatione, quorum toties mensuram capiat (2). Jam quoque adnotavimus mundi corporei molem et omnem spatii capacitatem esse finitam, in Claudiani doctrina, ideoque mensurabilem.

Præterea omne corpus ex eo quod extensum est

(1) Hæc animadvertit Claud. lib. II, cap. IV, § 2.
(2) Lib. II, cap. IV, § 1.

et mensurabile, eo ipso numerabile quoque esse apparet. Ubi enim aliquid locum implet et per spatium extenditur, jam habet partes alias ab aliis diversas : quæ partes, ut patet, separari possunt, et eo ipso numerari. At vero quot sunt partes illæ in unoquoque corpore? Estne numerus earum finitus an infinitus? In hac quæstione censere videtur Claudianus corpus non ex atomis vel, ut aiunt, ex « punctis simplicibus » componi, quorum numerus in unoquoque corpore certus sit, sed esse quid continuum : ita ut partes non sint numero definito ante divisionem corporis; si vero corpus in duo dividas, duæ partes sint, si in quatuor, quatuor. Quidquid vero sit de compositione corporum, certissime opinatur scriptor noster, et in hoc peripateticus, omnem corpoream molem vel moleculam, semper, dum corpus est, posse dividi; ita ut, quemadmodum numerus, si abstractus a rebus consideretur, in infinitum augeri potest, sic concretus, ut aiunt, numerus partium corporis, in infinitum augeri possit, modo vis aliqua possit in infinitum corpus dividere (1). « Quælibet ergo terræ pars magna vel minima, aut lapillus exiguus, vel minutissimus pulvisculus, qui puncto visibili contingi nequeant, habent et mensuram pro modulo sui, et numerum pro ratione partium, quibus distant superiora ab inferioribus, dextra a sinistris, a posterioribus priora. Unde etiam quamlibet minimum dividi in duo potest, quia corpus est (2). »

(1) Ergo, ut jam diximus, numerus harum partium nunquam proprie infinitus est, quia semper augeri potest : melius diceretur indefinitus, seu « potentia infinitus », ut dicunt Scholastici.

(2) Lib. II, cap. IV, § 3, 114, 9 ; 743 A. — Cf. lib. I, cap. XVIII, § 3.

Inutile esse arbitramur quatuor elementa singillatim inspicere, ut Claudianus, qui in singulis numeros esse ostendit et mensuras (1). Jucundius erit hanc sententiam referre qua exponit quomodo ex numeris exsurgat pulcritudo : « Animadvertisti, ut arbitror, hæc esse in corporibus signa numerorum, quod scilicet numerosa sint corpora, quæ sibi secundum præstantissimam numeri æqualitatem, partium parilitate respondeant : ut quoniam unius ad unum, et duorum ad duo, et ad tria trium summa æqualitas est ; sic itidem illud numerosum corpus esse dicamus, quod rata dimensione formatum, ut verbo tenus humanum, quæ sunt bina sic habeat ex adverso posita, ut sibi nec magnitudine, nec specie, nec loco dissentiant, ut sunt aures et oculi : quæ item singula, ut nasus et os, medium locum teneant : atque, ut esse pulcra possint, concinentiam summæ æqualitatis imitentur (2). »

In exponenda ratione ponderis, nimium tribuit Claudianus veteri illi theoriæ de quatuor elementis, cui firmiter adhærebat, et quam sæpius in libros suos induxit. Pondus in ejus doctrina non est vis illa qua corpora omnia aliud ab alio, pro singulorum mole, attrahi videntur, sed vis qua unumquodque elementum ad regionem aliquam sibi propriam natura feratur, terra ad imam mundi regionem, ignis ad summam. « Corporum pondus, inquit, illud esse patuit, quo eadem in regiones suas unde primordialiter exsistunt, naturaliter feruntur, nec quiescunt, quoadusque transmisso elementi alterius spatio, in sua perveniant (3). »

(1) Lib. II, cap. IV, § 3.
(2) Lib. II, cap. V, § 2, 116, 17 ; 774 A.
(3) Lib. II, cap. V, § 3, 117, 18 ; 744 C.

Cum igitur globuli aeris sub aquam immittuntur, inde erumpunt, non quia aqua pondere suo majore illos expellit, sed quia super aquam natura sua feruntur. « Pondus autem ignis iste terrenus, quasi quoddam semen ignium supremorum, sursum versus habet : qui, quanto majore fomento pastus, majorum fuerit virium, velut in patriam tendens, subtilis natura magnas partes stipati aeris irrumpit, et, nisi eumdem elementi alterius profundum vinceret, quo per naturam rapitur perveniret (1). » Nos in his et talibus ne immoremur.

§ IV. — DE MENSURA, NUMERO ET PONDERE ANIMÆ HOMINIS.

Non esse in anima hominis corporeas mensuras vel localia pondera (2), vel numerum partium, quæ aliæ ab aliis separari possint, ipsis argumentis patet, quibus Claudianus animam a corpore prorsus diversam esse demonstravit. Ut tamen idem auctoritate præclarorum virorum confirmet, in secundo libro operis sui, testes vocat, ut diximus, Pythagoreos : qui et ipsi, cum numeros, mensuras et pondera in omnibus quæ sunt quæsivissent, agnoverant ea materialiter inesse corporibus, animis vero ratione prorsus diversa. Illius scholæ philosophi, qui Deum primam unitatem esse dicebant, a qua cuncta penderent, in anima hominis

(1) Lib. II, cap. IV, § 3, 115, 8 ; 743 C.

(2) Sic vocat Claudianus pondus quo ad locum certum corpus defertur.

simplici et nullis partibus coagmentata, divinæ unitatis imaginem esse prædicabant : « Anima, inquit Archytas Tarentinus in opere suo *de rerum Natura*, ad exemplum unius composita est, quæ sic illocaliter dominatur in corpore, sicut unus in numeris (1). »

Hanc pythagoricam doctrinam magnis cum laudibus refert Claudianus ; nec tamen ea contentus, ultra progreditur et christianos doctores secutus, ostendit, ut in Deo uno tres Personæ sunt, ita tria esse in anima nostra, nempe « memoriam, consilium, voluntatem, quibus animæ humanæ confit unitas (2) ».

Facile porro apparet in doctrina Claudiani hæc tria « memoriam, consilium, voluntatem », respondere his tribus « mensuræ, numero et ponderi », quæ et ipsa dicuntur ab eo imaginem Trinitatis in anima efformare. Non satis tamen scriptor indicat quomodo unaquæque res unicuique respondeat : id vero non inquirere satius est, ne disquisitionibus auctoris, jam subtilibus ultra modum, alias subtiliores addere videamur (3). Dicamus potius quomodo arbitretur mensuram, numerum et pondus suo modo inesse animæ hominis.

Unumquodque corpus tantum recipere potest aliorum corporum, quantum magnum est et capax. Prorsus diversa est animæ capacitas et mensura. Capax est enim mens humana sapientiæ et scientiæ : omnia

(1) Hunc Archytæ locum Claudianus latine vertit et profert, lib. II, cap. VII, § 2, 121, 7 ; 746 B.

(2) Lib. I, cap. XX, 71, 5 ; 722 D. — Cf. lib. I, cap. XXIV. — Idem repetit Claudianus lib. II, cap. VI. — Longis ratiociniis ostendit S. Augustinus imaginem Trinitatis in homine. — Cf. lib. IX *de Trinitate*.

(3) Ut paucis dicam, verisimile est Claudianum reponere formam mensuræ in memoria, numerorum in consilio, ponderis in voluntate. Unde ducat harum rerum convenientiam inter se, obscurum est.

igitur quæcumque addiscere potest acri studio, vel in « abyssos memoriæ (1) » reponere, omnia hæc pene infinita complecti valet et continere. Habes ejus illocalem mensuram, et sine mole magnitudinem.

Numeros in anima hominis duplici modo inesse docet Claudianus. Potest enim, ut corpus numerosum dicitur quadam partium concinentia, sic anima virtutibus inter se apte convenientibus numerosa dici. Potest et ratio numeri in anima nostra reponi in eo quod numerorum scientiam, et eam immutabilem atque æternam, habeamus. Hic quidem fatendum est duplicem hanc explicationem, ac magis etiam posteriorem, satis puerilem esse et fere nugatoriam. En verba ipsa scriptoris : « Quatenus igitur numeri veritatem in anima reperiamus humana, primum debet ipsa sibimet actitandi rationem pro virtutum parilitate concinere, ut sapientiæ justitia, temperantiæ fortitudo respondeat : quæ parilitas utique numerosa est, quia tanto est numeris vicinius, quanto est quidque concinentius. Sed illud in anima numerosum potius arbitror, quo eadem scientialiter compos est numeri ; ut non partibus sicuti corpus numerosa sit, sed ipsum dignoscat, et secundum eumdem judicet numerum. Nam tria et quatuor septem fore, et hæc et tria decem, nulla præter humanam animam vel potest scire vel poterit. Sicut igitur de mensura claruit, ita et de numeris satis apparet esse hos in corpore visibiliter, in anima intellectualiter (2). »

Animæ autem pondus voluntas est, sive amor ejus, quo ipsa fertur in bona vel sibi vel corpori cui conjungitur convenientia. Verum, quemadmodum in

(1) Lib. I, cap. xxii, § 2, 80, 26 ; 727 C.
(2) Lib. II, cap. v, § 2, 117, 5 ; 744 B.

doctrina Claudiani et omnium veterum elementum quodcumque ad eum locum vi maxima rapitur, qui sibi proprius est, et « unde primordialiter exsistit », sic anima nostra vi summa rapiatur in patriam suam illocalem necesse est, in ipsum scilicet a quo facta est, Deum. Præterea, in re unaquaque, pondus et numerus et mensura ita sunt inter se connexa, ut unum sine aliis esse non possit. « Igitur pondus corporis, quocumque corpus tulerit, mensuras ejus et numeros indissociabiliter secum trahit. Item pondus, hoc est amor animæ, in id quod diligit, et memoriam et consilium secum cogit; quia nihil aliud meminisse vel cogitare valet, nisi illud cujus amore fervescit (1). » Advertendum est etiam illo pondere animam in se solidari ac velut stipari, dum vires ejus amore mutuo inter se conjunguntur. « Hoc pondere suo tamen anima non solum aliis jungitur, sed ipsa quoque solidatur; quia consilii ac mentis amore medio, et mens consilio, et consilium mente diligitur (2). »

Hanc doctrinam de amore, quo more ponderis res unaquæque ad locum suum, anima ad Deum rapitur, jan pluries expresserat S. Augustinus. Omnes norunt hanc ejus sententiam : « Pondus meus, amor meus : eo feror quocumque feror, » et capud illud *Confessionum* cui inserta legitur (3), et alios multos et pulcros locos summi doctoris de eadem re (4).

(1) Lib. II, cap. v, § 3, 118, 4; 744 D.

(2) *Ibid.*, 118, 12; 745 A.

(3) *Confess.* lib. XIII, cap. IX.

(4) « Nec aliud appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod animæ amoribus suis, *etc.* » *Ad Inquisitiones Januarii,* lib. II, seu Epist. LV (*alias* CXIX), cap. x, § 18, apud Migne, t. XXXIII, col. 212.—Cf. *Epist.* CLVII (*alias* LXXXIX), § 9; — et *de Civitate Dei,*

Præterea id quod dicit Claudianus, mentem nostram et consilium nostrum inter se amore et voluntate nostra aliqua ratione uniri, ita ut illa tria in aliquam unitatem conspirent, quæ imago sit unius et trinæ Deitatis, omnes norunt Augustinum sæpe et ipsum dixisse : « Vellem, inquit in suis *Confessionibus*, ut hæc tria cogitarent homines in se ipsis... Dico autem hæc tria, esse, nosse, velle. Sum enim, et novi, et volo ; sum sciens et volens ; et scio esse me et velle ; et volo esse, et scire. In his igitur tribus quam sit inseparabilis vita, et una vita, et una mens, et una essentia, quam denique inseparabilis distinctio, et tamen distinctio, videat qui potest. Certe coram se est, attendat in se et videat, et dicat mihi. Sed cum invenerit in his aliquid et dixerit, non jam se putet invenisse illud quod supra ista est incommutabile, quod est incommutabiliter, et scit incommutabiliter, et vult incommutabiliter (1)... » Eamdem doctrinam invenerit qui voluerit fusius expositam in libro IX *de Trinitate ;* hic vero de ea satis jam dictum esse existimamus.

lib. XI, cap. xxviii, in quo dicit iterum auctor corpora ponderibus, animas amore ferri, et animas nostras in Deum toto impetu rapi debere.

(1) Lib. XIII *Confess.*, cap. xi : *Symbola Trinitatis in homine.*

§ V. — CONCLUDITUR CAPUT DE NUMERO, PONDERE ET MENSURA

En Claudianum non sine labore per « tribulosa (1) » ratiocinia ad metam usque secuti sumus. Breviter nunc hoc nostrum caput concludi potest. Claudianus enim, cum toto suo opere id efficere conetur ut animam hominis penitus notam reddat, et locum illi adscribat in rerum natura, variis viis ad suum scopum tendit, et variis rationibus ostendit animam mediam se habere Deum inter et corpora. Primum igitur demonstravit Deum non moveri; animam per tempus moveri, non per locum; corpus per locum et tempus. Postea subjicit in illo suo schemate quod in fine operis totius reperimus :

« Deus judicat et non judicatur;
» Spiritus judicat et judicatur;
» Corpus nec judicat, et judicatur. »

Hæc cum Mamertus scriberet, procul dubio attendebat illam suam doctrinam, quam modo exposuimus (2). Sic enim longius evolvi posset hæc pars schematis : In Deo et in rebus creatis tria quædam inveniuntur, numerus, pondus et mensura. Deus nec numeratur,

(1) Verbum est Sidonii.

(2) Hanc partem schematis referri ad numerum, pondus et mensuram, patet ex cap. VI lib. II, et ex ea epistola ad Sidonium quæ, in fine operis edita, epilogi vice fungitur, et cui schema postpositum est.

nec mensuratur, nec ponderatur, sed ipse in se numerus est, et mensura et pondus; ipse res omnes numerat, dum singulas creat et partibus suis vel viribus et virtutibus numerose inter se concinentibus instruit; ipse res omnes metitur, dum singulas noscit et singulis modum tribuit; ipse res omnes ponderat, dum singulis amorem quemdam seu pondus impertit, quo corpora ad loca unicuique congrua dirigit, spiritus ad se ipsum summum bonum allicit et perducit (1). Spiritus a Deo, modo quo diximus, et numerum, et mensuram et pondus acceperunt: ipsi vero cognoscere valent quid sint numerus et pondus et mensura, et quomodo hæc in æterna veritate subsistant; ipsi numeros vel quos in se habent vel quos in corporibus reperiunt numerant, et metiuntur tum vires suas tum spatia corporea, et ipsi se pondere sive amore suo libere regunt et gubernant, et corpora dirigunt ac movent (2). Corpora autem et numerum suum et mensuram et pondus acceperunt, quæ nec dignoscere nec immutare possunt (3).

Claudianus igitur, quamvis in tota illa operis parte quam hoc capite exposui, sæpe nugas pro veris et pulcris doctrinis habuerit, recte tamen hunc rerum ordinem in capite sexto libri secundi descripsit : « Nihil omnino esse potest, inquit, quod non et trifarium subsistat, et unum sit. Omne scilicet corpus et unum erit, et mensurabile erit, et numerabile et ponderabile. Et omnis anima rationalis tribus individuis, memoria, consilio, voluntate subsistit, quibus capax est mensuræ,

(1) Id refertur ad verbum : *Deus judicat.*
(2) Id refertur ad verbum : *Spiritus judicat et judicatur.*
(3) Id refertur ad verbum : *Corpus non judicatur, et judicatur.*

ponderis et numeri ; secundum hæc de mensurabilibus quibusque, ponderabilibus et numerabilibus, hoc est de corporibus, judicans; quæ si corpus esset, incorporea certe non caperet, sicut corpus etiam judicari posset, et de corporibus judicare non posset. Permanat ergo a summo, quod Deus est, per medium, quod anima, ad imum, quod corpora, unitæ specimen Trinitatis, corporibus signa sui imprimens, animabus etiam notitiam tribuens ; illa formans visibiliter, has intelligibiliter (1). »

(1) Lib. II, cap. vi, 119, 8 ; 745 B.

CAPUT VI.

DE VITA ET DE VIVENTIBUS, DE VIRIBUS ET ACTIBUS ANIMÆ, QUÆ SENSERIT CLAUDIANUS.

§ I. — QUÆ SENSERIT CLAUDIANUS DE QUIBUSDAM PERTINENTIBUS ALIIS AD PHYSICAM, ALIIS AD THEOLOGIAM.

Cum nihil aliud susceperit Claudianus, nisi ut confirmet animam a corpore esse diversam, ea quæ hucusque exposuimus in libris ejus præcipuum locum obtinent. Diximus enim quibus argumentis ostendat animam esse spiritum, et quomodo variis rationibus demonstret non exsistere tantummodo hinc Deum, illinc corpora, ut Faustus asserebat, sed præterea naturam spiritualem, mediam inter Deum et corpora constitutam. Quo bonis vel sat bonis argumentis stabilito, scriptor scopum attigerat. Non potuit tamen tot rationes evolvere et tres libros scribere de animæ statu, neque interim de multis aliis rebus, quæ vel ad philosophiam vel ad alias disciplinas pertinent, sensum

suum aperire : præsertim cum ipse unam scientiam ab aliis minime sejungeret, sed se omnes colere et nosse gloriaretur.

Arbitror tamen operæ pretium non esse doctrinam Claudiani, tum physicam, tum mathematicam penitus inspicere. Inveniret, ut opinor, qui hoc opus susciperet, Mamertum in mathematicis disciplinis fuisse sat eruditum pro ætate qua vixit, doctrinam tamen ejus non excessisse eam quam hoc nostro seculo omnes pueri tenent : in physicis vero eum fuisse imbutum erroribus qui tunc temporis pervagabantur.

Aliquando tamen pervulgatis doctrinis addictus non est, verum (id ipsi vitio an laudi vertamus?) via sibi propria a veritate deflectit. Credas fortasse, ut exemplum unum afferamus, veteres omnes una voce dictitasse idcirco aquam in fistulam adscendere e qua aer expulsus sit, quia « natura abhorret a vacuo ». Non ita rem fieri putabat Claudianus, sed aliam proferebat legem quam vel excogitaverat, vel in aliis libris invenerat, non ita notis : quæ lex sic declarari posset : Omne elementum superius inferiori dominatur : ipsi imperare aliqua ratione potest, et ipsum ad se attrahere : sic ignis aerem trahit, aer aquam, terram aqua. Lege Mamerti caput vicesimum primum libri primi, et disces simul quam ob causam arboribus, vere ineunte, vita et incrementum redeat, et quam ob causam aquas haurire possimus : « Inferiora nempe rato rerum ordine a superioribus afficiuntur. Transacto scilicet frigore brumali per conversionem cæli recursu siderum calor superne veniens aerem sibi et loco et natura proximum prius afficit : qui quoniam tanto gradu igni cedit, quanto ipse aquis eminet, per radices arborum vel

quorumpiam germinum de terræ intimis aquas attrahit, eo quod ignis elementum omnia naturaliter rapiens tepefactum aerem ad se cogit, perque arboris medullam sicut ipse haurit aerem, sic aer aquam, sic aqua terram. Unde est quod etiam nos per fistulam, vel cujuscemodi tibiam attracto aere, aquas indifficulter haurimus. Et e puteorum profundis, artificiose compacto machinamento quodam, sursum versus unda gravior ob naturam cogitur, et aeris adminiculo in angustos tubulorum meatus vi compulsa labrum tenus supra summum putei expressa prolabitur (1). »

In alio prorsus doctrinarum ordine, qui theologiæ student possent inquirere quomodo Claudianus, dum contra priorem partem epistolæ Fausti dimicat, explanet divinitatem non posse pati et tamen Christum passum esse. Notarent et theologi errorem quo Viennensis presbyter Angelos putavit, more hominum, e duplici substantia constare, corpore nimirum et spiritu : « Intelligere nos, inquit, oportet, constare hominem ex corporeo et incorporeo, utroque in melius reformando : constare angelum ex corpore et spiritu, præcipua inter creaturas dignitate formato. Spiritus illi namque est omni spiritu creato potentior, corpus illi de potissimo omnium elemento sublimius, secundum illud propheticum ubi angelica substantia duplex sine dubitatione perhibetur : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem (2). » Hic qui-

(1) Lib. I, cap. xxi, § 2, 72, 18; 723 C. — De corporibus cælestibus legendum lib. I cap. xii, et capita jam relata de cælis.

(2) Lib. I, cap. xiv, 58, 11; 716 D. — Versus 4 Psalmi CIII hic pessime a Claudiano intelligitur. — Cf. lib. II, cap. iii ; — lib. III, cap. vi et viii (apud Migne, cap. v et vii).

dem theologicus error aliquem etiam in ratiocinando defectum aperit. Cum enim diu multumque laborasset ut ostenderet decere aliquam substantiam spiritualem creatam esse, debuerat Mamertus agnoscere etiam decere creatam esse aliquam substantiam spiritualem a corpore prorsus secretam et liberam. At opinatus est creaturam « incorpoream », ut ejus verbis utar, non posse exsistere nisi « corporatam (1) », scilicet unitam alicui corpori. Mirum est re vera talem et tantum incorporalitatis assertorem, ubi de hominibus agitur, plus tamen corpori tribuisse, cum de Angelis sermo esset, quam plerique et probatissimi christiani doctores atque etiam plures inter scriptores profanos, qui substantias aliquas prorsus a corpore liberas a Deo creatas esse putaverunt. At in hac re, ut advertit Huetius, « Mamertum sua videtur fefellisse ratio (2). »

Nos vero, quoniam in hoc opere ea tantummodo scrutamur quæ de anima senserit Claudianus, quæstiones quæ ad scientias vel physicas vel theologicas pertinent prætermittamus, et e libris *de Statu Animæ* eos locos colligamus qui magis ad psychologicam doctrinam referuntur. Sic videndum nobis est quid Mamertus putaverit de vita et viventibus ; de viribus animæ nostræ ; de idearum nostrarum origine.

(1) *Corporeum* dicit, quod habet naturam corporum : *corporatum* quod est unitum corpori. — Vide de sensu horum verborum, lib. I, cap. XII, § 1.

(2) Huet., *Origeniana*, lib. II, cap. II, quæst. V, § 8, p. 71. — De hoc Claudiani errore, quem, præter Huetium, alii catholici scriptores notarunt, cf. Gallandii *Prolegomena de Mamerto Claudiano*, § 4, apud Migne, col. 695-696.

§ II. — DE VITA ; QUOMODO ARBORES VIVANT, ANIMALIA VIVANT ET SENTIANT.

Sepositis elementis quæ nec vivunt nec sentiunt, vitam agnoscit Claudianus tum in arboribus et plantis, tum in animalibus brutis, tum in hominibus. Ubi porro rem aliquam vivere arbitratur, ibi putat esse aliquid non corporeum, principium aliquod cujus vires materiam solam et elementa excedant. Neque illepide ostendit aliquid solo corpore majus et potentius inveniri in plantis : « Hic, inquit, si causalium rationum secreta rimare, animadvertas licet defore fixis viventibus animam, sed non defore incorpoream vitam. Atque ut unum aliquod ex omni seminum genere deligamus, granum certe tritici quantæ sit magnitudinis scimus, ejusdemque capacitate sui admodum molem metimur. Cujus si quid internum corporeum videre velimus, scisso eodem nihil nisi tantum candentis farris adspicimus, quantum brevis capacitas tenuissimæ cutis includit. Ecce tibi in spatio corporali summam grani triticei. Da tu nunc in hoc eodem granulo corporaliter mihi tumores germinum, herbarum virentia, calamos stipularum, spicarum hispida, levia palearum, pinguia frugum, atque ex his indefessis multiplicandorum semina seminum quæ omnia in illo sunt granulo, causalibus reposita secretis. Nunc igitur aut cuncta quæ de seminibus prodeunt intra eadem semina corporaliter

ostende, aut herbarum quoque vitam incorpoream confitere (1). »

Re quidem vera, quæ sit hæc vis semini indita qua granum minimum in herbam vel in arborem crescit, quæ sit hæc vita quam in plantis facilius agnoscimus quam intelligimus, istæ magnæ quæstiones sunt, neque in præsenti solvendæ. Ipse Claudianus hanc quidem vitam dicit non esse corpus; addit ad plantam conficiendam singulorum elementorum particulas in quamdam concinentiam moderate musiceque convenire : quæ concinentia dum manet, exsistit vita, ubi vero dissonantia aliqua solvitur, illocaliter vita exit e corpore vel potius corpore deseritur (2); nec tamen ultra scrutatur scriptor quid sit tandem hæc vita, utrum harmonia tantummodo elementorum, an potius substantia aliqua incompleta et mortalis ? Has quæstiones Mamertus intactas relinquit.

Vult tamen ille non animam, sed vitam tantummodo appellari incorporeum illud quo plantæ subsistunt. Si, inquit, herbæ et arbusta animata essent, « motu proprio non carerent... sentirent etiam vulnus inflictum (3). » Animæ igitur proprium esse dicit dare vim ut aliquid sponte moveatur, et res externas sentiat : hæc ubi erunt, ibi erit anima. Est ergo anima in brutis animalibus. Hæc non corpus est, et plura ex argumentis quibus anima nostra demonstratur non esse corpus, valent ad idem probandum de animis pecudum : omnia nimirum argumenta quæ ex vita sola

(1) Lib. I, cap. XXI, § 3, 73, 18; 724 A.

(2) Eodem igitur modo vita omnis discedit a corpore, quo diximus animam morte discedere. Vide cap. IV.

(3) Lib. I, cap. XXI, § 1, 72, 6; 723 B.

vel ex sensibus ducuntur. Bruta enim, ut nos ipsi, corpora vident, sonos, odores, sapores percipiunt, calorem vel frigus patiuntur, et, prout his rebus afficiuntur, movent se ad bona quærenda vel mala fugienda, signa edunt doloris vel gaudii. At præter hos externos sensus, videmus et animalibus datum esse velut sensum quemdam internum, quem Claudianus « *providentiam* », « *instinctum* » recentiores appellarunt, quo corpora sibi convenientia vel noxia dignoscunt, et varia opera, quandoque maxime artificiosa, unumquodque pro natura sua, sponte conficiunt. Vis quædam est incorporea animæ illa providentia quam reperire est quandoque majorem in « angustis pectoribus », ut in apiculis, minorem in magnis belluis, ut in camelis (1) : hac tamen non percipiunt animalia nisi corpora et res corporeas. Præterea φαντασίαν aliquam habent belluæ et memoriam, qua corporum et locorum imagines retinent : « Unde non absque vero dicitur in memoria esse hominis pecudisque confinium. Nam et nidos ciconiæ atque hirundines post annum revisunt, et equi stabula repetunt, et canes dominos recognoscunt (2). Sed quoniam animæ

(1) Lib. II, cap. III, §§ 3 et 4.

(2) S. Augustinus, *Confess.*, l. X, cap. XVII, — apud Migne, t. XXXII, col. 790 : « Habent enim memoriam et percora et aves : alioquin non cubilia nidosve repeterent, non alia multa quibus assuescunt, neque enim et assuescere valerent ullis rebus nisi per memoriam. » Et alibi ostendit simul Augustinus animalibus esse memoriam et φαντασίαν : « Nam et per loca nota sine errore jumenta pergunt, et cubilia sua bestiæ repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt : quod nullo modo possent nisi in eorum memoria visarum rerum vel per corpus utcumque sensarum versarentur imagines. » *Contra Epistolam Manichæi quam vocant Fundamenti liber unus*, cap. VII, § 20, in *Patrologia* J.-P. Migne, t. XLII, col. 185.

belluarum, etsi imagines locorum naturaliter retinent, ipsius tamen substantiæ suæ scientiam non habent, in recordatione corporalium rerum quas per corporis sensus hauserunt necessario remanent, et ratiocinandi non habentes oculum, non dicam supra se aliquid, sed se ipsas videre non possunt (1). »

Videmus igitur quæ sit de iis opinio Claudiani: bruta scilicet anima esse prædita quæ, quoniam vires ejus circa res corporeas tantummodo versantur, vivere nequit incorporea vita, ideoque una cum corpore deperit. « Est ergo in pecude corruptibile corpus et mortalis anima, quæ vitam corporis nec anticipat nec posticipat (2). »

Denique hominis ipsius vita velut in se continet et complectitur tum arborum et fruticum, tum animalium vitam, et, his major et perfectior, usque ad eam quæ spirituum est propria attollitur. « Gratias ergo, si non quantas debet, at quantas potest, Creatori suo totus homo referat, qui illi ineffabilis benignitatis largitate essentiam cum lapidibus, vitam seminalem cum herbis et arboribus, vitam sensualem eamdemque animalem cum pecudibus, vitam rationalem cum angelis dedit (3). » Multi vero inter veteres quæsierunt utrum hanc multiplicem vitam multiplex principium homini tribuat, an una et eadem anima vi et perfectione sua omnia munera gerat tum animæ quæ mutis animalibus sensum tribuit, tum principii illius quo plantæ crescunt. Neque apud veteres tantum hæc quæstio mota est, sed nostris etiam

(1) Lib. I, cap. XXI, § 1, 71, 11 ; 723 A.

(2) Lib. I, cap. XXI, § 4, 74, 19; 724 C. *Posticipare* nove dictum adnotavit Cangius in *Glossario*.

(3) Lib. I, cap. XXI, § 1, 71, 20; 723 B.

temporibus celebre fuit certamen « vitalistarum », ut aiunt, et « animistarum ». Atqui facile est videre quibus partibus Claudianus magis faveret; nimirum putabat nihil esse in homine nisi corpus et animam unam, quæ per se cogitet et corpori impertiat vitam. Etenim animam pluries nominat « corporis vitam », — (ut sæpe, in libris *de Statu Animæ*, *vita* dicitur pro *vitæ principio*,) — et ostendit corpus anima recedente perire : neque unquam hanc animam qua corpus vivit aliam esse dicit atque eam qua percipimus rerum ideas. Unus igitur spiritus homini dat esse, vivere, sentire et intelligere, et hominem in summo gradu viventium constituit. Etenim : « Quod est lapis ad inanimum vivens, hoc inanimum vivens ad animatum vivens : et quod est inanimum vivens ad animatum vivens, hoc est animatum vivens ad viventem et intelligentem (1). »

§ III. — DE VIRIBUS ANIMÆ

Quasdam vires suas anima per corpus exercet, quasdam per se ipsam. Per se enim cogitat et vult, per corpus cetera corpora sentit. At vero, ut res corporeas sensibus percipiamus, concurrunt tum elementa tum membra nostra. Debent enim, in doctrina Claudiani, singula membra, quæ nobis ad sentiendum data sunt, singulis elementis adjuvari ut operentur, oculi igne, aures et nares aere, lingua et palatum aqua, cutis

(1) Lib. I, cap. XXIII, 81, 20 ; 728 A.

terra (1). Elementa igitur, media inter nos et res externas, adjumenta quædam sunt ad sentiendum, membra autem velut instrumenta. Hæc tamen membra non sunt vis ipsa sentiendi. « Aliud enim est visus, aliud oculus; aliud aures, aliud auditus; et nares aliud, aliud odoratus; et os aliud, aliud gustus. Nec hoc idem, manus et tactus... Aliud est ergo membrum per quod sentimus, et sensus aliud quo sentimus (2). »

Illis doctrinis, in quibus facile apparet vera falsis misceri, aliam quamdam inserit et innectit Mamertus, qua ostendit, et hoc quidem recte, nullum sensum posse ita in se reflecti, ut se ipsum sentiat. « Igitur, inquit, tactu calentia frigentiaque discernimus, ipsum vero sensum tangendi non tangimus. Nec frigus illic namque nec calor est. Et gustatu dulcia atque amara sentimus, sed gustatum gustare non possumus... Coloratas oculis formas adspicimus, et oculis quia coloratæ formatæque sunt, cernimus: sed visum, quia nec coloratus nec formatus est, non videmus : jugiter namque videremus, si luceret visus; et audiremus semper, si sonaret auditus; et perpetuo odoraremur, si fraglaret olfactus; et indefessim gustaremus, si saperet gustatus; æternumque tangeremus, si se ipsum tangeret tactus (3). »

(1) Lib. I, cap. VII, § 1. Cf. lib. III, cap. XI, (Migne IX). — Ceterum veteres omnes dixerunt elementa ad sensuum actus concurrere. Rem tamen melius quam ceteri explanavit S. Bonaventura, in libro *de Deductione Artium ad Theologiam*, in quo dicit ignem et lumen in omnium sensuum actibus requiri, et lumen non modo prodesse ad visum, verum et ad ceteros sensus, ita ut aeri lumen admisceatur ad auditum excitandum, aquæ ad excitandum gustum, terræ ad tactum. Sic fere quidam moderni æthera quemdam ad sentiendum requirunt, et hunc æthera vel parum vel nihil differre a lumine volunt.

(2) Lib. I, cap. VI, § 2, 43, 9, 44, 3 ; 709 G ; 710 A.

(3) Lib. I, cap. VI, § 2, 43, 11 ; 709 C.

Sic sensus se ipsos percipere non valent. Sensus porro, scilicet ipsæ vires ad sentiendum, non sunt res omnino corporeæ : ad animam enim simul et ad corpus pertinent : ad corpus, quia corporeis membris exercentur et res corporeas nobis manifestas faciunt, ad animam, quia anima ipsa aliquo modo ea sentit et percipit quæ sensibus referuntur. « Animus qui sentit in corpore, etsi per visibile sentit, invisibiter sentit... Quia inter invisibile incorporeum et corpus visibile, est illud invisibile corporeum, quod in nobis visus, auditus, odoratus, gustus et tactus est : quæ quoniam nonnisi in animato sunt corpore, ex utriusque diversi commercio, eadem et corporea sunt et invisibilia, trahentia de corpore visibili ut corporea sint, de incorporeo animo ut sint invisibilia (1). »

Præter hos quinque sensus, quos jure philosophi externos vocant, sunt animæ nostræ vires quædam et potentiæ internæ, quæ et ipsæ in rebus corporeis versantur : imaginatio scilicet sive φαντασία, qua corporum imagines, a sensibus acceptas, nobis apud nosmetipsos effingimus et repræsentamus, et memoria, qua imagines illas retinemus, et nobis, quando voluerimus evocandas, reservamus. Memoria tamen non modo corporum imagines retinemus, sed et scientiam de rebus maxime ab omni materia remotis : ideo recte animadvertit Claudianus « in memoria esse hominis pecudisque confinium (2) ». Quæ sententia, ni fallor,

(1) Lib. I, cap. vi, § 2, 43, 8, 44, 5 ; 709 C, 710 A. — Doctrina Claudiani de sensibus invenitur lib. I, cap. vi, vii, ix ; — lib. III, cap. xi (apud Migne cap. ix).

(2) Lib. I, cap. xxi, § 1, 71, 12 ; 723 C. — Multi volunt hoc nomen *memoriam*, duobus viribus diversis tribui, uni quæ ad sensus externos referatur, alteri quæ pertineat ad intellectum.

sic intelligi debet, solam memoriam, inter vires animæ nostræ, tum ad sensibilem, tum ad intellectualem vitam pertinere. Etenim sensus externi, vel ipsa vis imaginandi, non versantur nisi in rebus mere corporeis, ideoque et in pecude et in homine eodem modo sunt, et, cum eodem modo conveniant utrique, unum ab altero non discriminant; ex altera parte, intelligere et velle vires sunt solius hominis propriæ quæ ad muta animalia nihil pertinent. Memoria vero, si eam inspicimus ut est thesaurus quidam imaginum corporearum, « rationali atque irrationali communis est » ; si eam inspicimus ut est thesaurus idearum et scientiarum, ad nos tantummodo pertinet; et sic cum altera sui parte et pecudis sit et hominis, altera parte sit hominis solius, jure dicitur esse in ea utriusque confinium.

Jam vero de memoria legerat Claudianus notissima illa et pulcerrima capita in libro *Confessionum* decimo, in quibus sanctus Augustinus describit « campos et lata prætoria memoriæ, ubi sunt thesauri innumerabilium imaginum de cujuscemodi rebus sensis invectarum (1). » Hæc legerat Claudianus, et cetera quæ de memoria sanctus Augustinus scripsit, nec ausus est, post tot alte simul et ornate dicta, longam memoriæ descriptionem ipse instituere: earum tamen rerum veluti summam quamdam in una brevi pagina non sine arte collegit, Augustino non nominato, verbis tamen ejus et sententiis propre expressis : « Quis potest, inquit, memoriæ solius abyssos intueri et antra penetrare? In ista mihi est quiquid usquam

(1) *Confess.*, lib. X, cap. VIII, apud Migne, t. XXXII, col. 784. — Cf. de memoria hoc caput Augustini, et sequentia, usque ad XXV.

colorum formarumque vidi, in hac quidquid verborum vel sonorum per aures accepi, in hac quiquid odorum per nares attraxi, in hac quidquid saporum diversitate cognovi, in hac quidquid tactu nuntiante discrevi ; in hac mihi reposita quodam modo sunt et grammatica, cum de dialecticis dissero, et rhetorica, cum de geometricis, et astrologica, cum de musicis, et hæ simul omnes, cum de arithmeticis : juxta formas partium mundi, quas video, de his quas non video adminiculante ratione cognoscens, incorporea mundum capacitate complector (1). »

Ceterum, memoria illa, qua ideas et scientiam tenemus, et intellectus et voluntas, non sunt, in Claudiani doctrina, res inter se diversæ, nec diversæ ab animæ substantia.

Scriptor enim noster, in hoc Cartesianis vicinus, sic reprehendit Faustum : « Tu cum dicis aliud esse animam, aliud animæ cogitationem, melius fortasse dixisses, illa de quibus cogitat anima, cum de se non cogitat, non esse animam, ipsam vero cogitationem non esse nisi animam... Verum tu idcircò vel maxime de animæ statu falleris, quia aliud animam, aliud esse animæ potentias credis. Quod enim cogitat accidens

(1) Lib. I, cap. XXII, § 2, 80, 25 ; 727 C. — Cf. verba Augustini : « Ibi sunt omnia distincte generatimque servata, quæ suo quæque aditu ingesta sunt, sicut lux atque omnes colores formæque corporum per oculos ; per aures autem omnia genera sonorum ; omnesque odores per aditum narium ; omnes sapores per oris aditum ; a sensu autem totius corporis quid durum, quid molle, quid calidum frigidumve, lene aut asperum, grave seu leve, sive extrinsecus, sive intrinsecus corpori... Sed non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriæ meæ. Hic sunt et illa omnia quæ de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt : quasi remota interiore loco, non loco, nec eorum imagines, sed res ipsas gero. » X *Confess.*, cap. VIII, IX ; apud Migne, tom. XXXII, col. 784 et 786.

ejus est, substantia vero qua cogitat. Hoc equidem de voluntate oportet agnoscas. Nam sicut tota anima cogitatio est, ita anima tota voluntas est; et quæ perfecte vult, tota vult. Et, ut supra dictum est, quæcumque illi velle accidentia est, ipsum vero velle substantia est(1).... » Idem alibi auctor affirmat de memoria, et dictitat « memoriam, cogitationem et voluntatem, unam esse animam », et « memoria, intellectu et voluntate animæ humanæ constare unitatem » : argumento hoc uno contentus, quod supra retulimus, scilicet animam esse aliquid simplex et maxime indivisum, ideoque animam totam agere, ubi agit, totam meminisse, totam intelligere, totam velle. Neque aliud argumentum, ut puto, Cartesius vel Cartesiani attulerunt (2).

Ad has tres facultates singillatim veniamus. De memoria ea quæ dixit Claudianus, jam supra relata sunt. De voluntate pauca scripsit auctor in corpore librorum suorum; cum vero sub finem operis argumenta sua colligit quibus ostendit animam non esse corpus, jure summo voluntatem testem advocat, utpote quæ vis incorporea sit et sæpe corpori reluctetur. De intellectu vero potissimum disserit, et in hac parte doctrina ejus digna est quæ consideretur.

(1) Lib. I, cap. XXIV, cujus titulus est : *Quia non est aliud anima, aliud memoria, cogitatio vel voluntas, cum hæc eadem una sit anima,* — — § 2, 85, 22; 729 D.

(2) Cum igitur Claudianus videtur distinguere *spiritum* ab *anima* (ut lib. I, cap. XIII *et alibi*), minime dicit hæc duo esse re distincta : sed *spiritum* vocat ipsam *animam*, opera sua præcipua et nobilissima exercentem. Cf. lib. I, cap. XXIII, ubi spiritum sive intellectum animæ oculum esse dicit.

IV. — DE INTELLECTU ET ORIGINE IDEARUM.

Intellectum nostrum nunquam requiescere, sed semper circa cogitationem aliquam occupari putavit Claudianus. « Illud, inquit, quod subjiciendum esse dixisti, eatenus animam solere requiescere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima nempe variare cogitata potest, non cogitare non potest. Quid autem illud est quod somniare dicimus, nisi quod, ne defesso quidem corpore in somnosque resoluto, animæ vis a cogitationibus vacat (1)? » Nec potuit ille aliud docere, cum putaret animam ipsam esse cogitationem : hoc enim posito, anima non magis sine cogitatione esse potest, quam esse sine se ipsa. Præterea, opinabatur animam sibi ipsi esse visibilem : quod ubi supponitur, necessario sequitur animam quæ secum semper est, semper etiam se ipsam aliquo modo percipere, distinctius cum de se sola cogitat, obscurius cum in aliud intenditur, eo fere modo quo oculis nostris corpus nostrum aliquatenus semper cernimus, etiam cum in alias res intuemur.

Ceterum intellectum concipimus esse velut oculum quemdam, animo superpositum non loco, sed vi ac potentia. « qui sive spiritus, sive mens, sive intellectus, unum atque idem est, etsi diverso nomine dicitur (2) »; quanquam ille, quem fingimus, oculus

(1) Lib. I, cap. xxiv, § 2, 85, 25; 730 A.
(2) Lib. I, cap. xxiii, 81, 17; 727 D.

animæ nihil re vera est nisi anima ipsa, quæ ea quæ videt tota videt. Quomodo autem visus ille animæ a visu corporis secernatur, pluribus in locis explanavit Claudianus (1), et nos jam, ipso duce exposuimus. Quippe « corporea, ait, intelligi nequeunt ; sentiri ab anima per corpus queunt. Anima vero sicut per corpus sentit, ita per se intelligit. Eorum quæ sentiuntur atque intelliguntur substantia longe diversa est. Quo fit ut anima, quia non est corpus, quæque corporea nisi per corpus sentire non possit, videre autem per se quæ intelligenda sunt possit (2). »

Illas tamen ideas, incorporeas, universales, immotas et æternas, quas, conscientia teste, apud se invenit intellectus noster et contemplatur, unde accepit? unde hausit? vel qua ratione illas ipse effinxit? Hæc ipsissima quæstio est de origine idearum : quam quomodo Claudianus solverit, in præsenti videndum est. Advertamus tamen in libris *de Statu Animæ* eam nusquam aperte proponi vel tractari. Non possumus igitur Claudiani responsionem claram et lucidam ex ordine proferre : fas nobis est tantummodo ex iis quæ ille de animæ visu non corporeo et de ideis passim disserit, ejus doctrinam aliquo modo eruere atque in unum colligere.

Primum igitur, suntne ideæ nostræ derivatæ aliquo modo ex formis illis corporeis quas per sensus haurimus, ita ut rerum quas sentimus imagines apud nos conservemus, et quadam mentis attentione eas ipsas imagines in ideas immutemus? Dicendumne est sci-

(1) Cf. in primis lib. I, cap. XIV, XXIII, XXV, XXVI. — Lib. III, cap. XI (apud Migne, cap. IX).

(2) Lib. III, cap. XI, 172, 21 ; cap. IX, § 2, 769 C.

licet cum Stephano de Condillac ideas non esse nisi ipsas sensuum perceptiones immutatas et (si fas est verbo uti in philosophiæ scholis recepto cum hæc doctrina exponitur) transformatas? Non illud opinatur Claudianus : immo e contrario de imaginibus illis queritur a sensibus acceptis, quæ, cum semper sese mentis nostræ oculis objectent, visum ejus quasi obscurant et obnubilant. « Idcirco, inquit, anima tua in recognitione sui fallitur, quia sibi adversantia pro se amplectitur, et per sensus corporis fallaciarum affecta ludibriis, eotenus implicatur errore, ut tanquam absens sibi se quærat, cum ipsa sit quærens se... Hæc est illa illusio, quam qui intelligit dolet, ac dolens gemit, et cum propheta plangit ac dicit : *Tota die contristatus ingredior, quoniam anima mea completa est illusionibus* (1). Sed istiusmodi illusiones in memoria patitur anima, ex qua nihil phantasiarum reventilare ac proferre posset, nisi easdem a formis corporum per corporeos sensus hausisset (2). »

Et alio loco dicit : « Sed occurrunt animæ phantasiæ corporum, quibus per sensus corporis affecta, non locis sed fallaciis circumscribitur. Et quia illorum tantum meminit quorum species per corpus accepit, nihil esse credit quidquid tale non fuerit. Nec suspirare potest illi patriæ, de qua in hanc peregrinationem merito præcipitata est, cum peregrinari se nesciat (3).... »

Hunc tamen imaginum corporearum in anima nostra conflictum Claudianus censet nobis non naturalem

(1) *Ps.* xxxvii, 7, 8. — In *Vulgata* legitur : « Tota die contristatus ingrediebar : quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. »
(2) Lib. I, cap. xxiv, § 1, 84, 11 ; 729 A.
(3) Lib. I, cap, xxi, § 5, 77, 9 ; 725 D.

esse. Meminisse enim debemus id quod et christiana religio docet, et ipsa ratio multis philosophis jam aliquomodo persuaserat, hominem e pristina sua dignitate decidisse, atque, ut Claudianus ait, « e sua patria peregrinari (1) ». Hinc est certamen illud inter corpus et animam, inter corporeas imagines et spirituales ideas. « Hæc illi [scilicet animæ nostræ] non naturalia, sed pœnalia sunt : ut quoniam a summo bono, quod ei Deus est, illecebris pellecta corporeis defluxit in corpus, patiatur illud intra semetipsam juste quod extra se dilexit injuste... Illa namque si in status pristini sublimitate mansisset a quo sponte dilapsa est, nunquam contra spiritum caro, nec contra carnem spiritus concupisset. Et si homo verus, hoc est anima rationalis, honorem suum, imaginem scilicet Dei, intellexisset, nunquam *insipientibus* fuisset *comparata jumentis* (2), videlicet ut animaliter viveret. Hinc est ille

(1) Cum animam nostram dicit e pristino suo honore decidisse, Mamertus quibusdam verbis utitur propter quæ, si ea sola attenderemus, suspicari fortasse possemus eum præexsistentiam animarum docuisse. Dicit enim : « Nec suspirare potest illi patriæ, *de qua in hanc peregrinationem merito præcipitata est...* (I, XXI) ; » et alibi : « Quoniam a summo bono quod ei Deus est, *illecebris pellecta corporeis defluxit in corpus... ;* » et : « *Si in status pristini sublimitate mansisset, a quo sponte dilapsa est...* » (I, XXIV.) — Non est tamen cur ob pauca illa verba, viro qui in ceteris christianam religionem recte professus sit, doctrinam illam adscribamus quæ jam seculo V° a catholicis omnibus repulsa fuerat. Verisimilius est igitur Claudianum in illis sententiis, quas retulimus, loqui de anima humana *in genere*, ut aiunt, ita ut anima illa tunc deciderit, cum primus homo illecebris pellectus corporeis declinavit ad res infimas. Ex eo tempore, anima hominis, *in genere*, jam facta est magis aliena a Deo et a cælo, quæ vera patria est, et magis propensa ad corporea. Ceterum, etiamsi homo in prima sua felicitate mansisset, corporeas tamen imagines apud se habuisset, at eas non ut nunc spiritui contrarias. Arbitror nihil aliud docere Claudianum.

(2) *Psalm.* XLVIII, 13, 21.

præ oculis ejus imaginum corporearum tumultus se semper objectans, ut si quando vel ad se vel ad Deum suum ratiocinando nititur, semper ad corporea phantasiis corporis avocetur (1). »

Anima igitur, ut recte cogitet et eo modo qui summam ejus nobilitatem deceat, debet ab his rerum caducarum simulacris sese retrahere, et visum suum, hisce vanis imaginibus illusum ac velut fœdatum, mundare et purgare, ut demum divinam illam veritatem quam nemo « vel incorporeus, nisi purgatus, videt (2)» valeat contemplari. Aliquam enim purgationem menti necessariam esse bis aut ter scriptor innuit. Quodam enim loco sic lectorem alloquitur : « Hic si purgata mentis intendas acie, subrutilare tibi jam debet quid sit anima (3). » Et in libro tertio apertius etiam dicit : « Difficillimum est incorporea contemplari, quia fallax visus corporalium sensuum ita peccato oculum imbecillæ mentis obnubit, ut, cum se vel Deum contemplari vult, imaginum corporearum velamen quod sibi prætexitur solum videat, cum trans illud videre non possit. Quisquis ergo difficultate visionis hujus offenditur, studium atque opus insumat, non ut me calumniatum eat, sed ut purgari valeat (4). »

Hic quidem, nonne tibi Platonem videaris audire, qui pluries his maxime similia disseruit, et docuit men-

(1) Lib. I, cap. xxiv, § 1, 85, 7 ; 729 C. — Cf. lib. I, cap. xxii, in quo ostendit quomodo anima, dum manet in corpore, a Deo peregrinetur.

(2) Lib. I, cap. xxvi, 96, 18 ; 735 A.

(3) Lib. I, cap. xxv, § 4, 91, 8 ; 732 B.

(4) Lib. III, cap. ii, § 1, 156, 1 ; 761 C. — Hanc purgationem apud Claudianum commendari animadvertit Barthius in suo commentario, et pro ea eruditione quam vir ornatissimus libenter jactitabat, adnotat Trismegistum idem præceptum discipulis suis tradidisse.

tis oculum a rebus corporeis, quæ nascuntur et intereunt, retrahendum esse, et ad hujus quod vere est splendorem convertendum? Hunc ipsum Platonem loquentem inducit Claudianus, et ostendentem quomodo consequatur homo veram scientiam eo melius quo magis a corpore recesserit, et tunc maxime cum a corpore mortuo anima omnino tandem exierit (1). Purgata igitur mentis acies, si Platoni et Claudiano credamus, ad lumen aliquod convertenda est, diversum prorsus a lumine corporeo. Hoc lumen Plato τὸ ἀγαθὸν appellat, summam quamdam et divinam ideam, Claudianus vero Dei splendorem et veritatem, Verbum scilicet de quo legerat : « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (2)... » Oculi enim non corporei solem non corporeum requirunt. « Valde autem mirum videtur, si lux ista [solis corporei] habeat oculos quos illuminet; illa autem vera non habeat (3). » Hinc Deum vocat « lumen illuminans », mentem hominis « lumen illuminabile (4) ».

Lux igitur ea divina est qua mens non aliter irradiatur, quam sole corporeo oculi. Hac fulgente, videbit anima intelligibilia, sive longitudinem per se, sive latitudinem, sive altitudinem, sive numerum et pondus et mensuram, sive quid aliud a materia remotum et præcisum spectare voluerit. Formas enim, sive ideas contemplatur « sempiternum mundum, cu-

(1) Locum excerptum e cap. XI *Phædonis* Claudianus laudat et latine vertit, lib. II, cap. VII. — Cf. præterea in *Civitate* Platonis notissimos libros VI et VII.

(2) *Joan.* I, 9.

(3) Lib. I, cap. IX, 50, 4; 712 C.

(4) Lib. II, cap. II, § 3, 103, 18; 738 A.

jus hic mundus imago sit (1).... Videt igitur animus absque corpore, nec corpulentum aliquid aut coloratum aut per loca distentum, sed ipsam veritatem, quæ summe incorporea Deus est, incorporeo contemplatur obtutu (2). » Siquidem si voluerimus attendere, Deum ipsum inveniemus animæ nostræ præsentem, et Dei Verbum cum mente nostra sine verborum strepitu colloquens. « Loquitur enim silentio mihi veritas, et dicit mihi : Tu certe qui corpus esse te credis, unde incorporeo verbo uteris ? Aliud credo est verbum tuum, id est consilium tuum, aliud vox verbi ; aliud quod sonat, aliud quod intelligitur. Nam sicut vox potest esse sine verbo, ita est verbum sine voce. Utitur tamen quodam indumento vocis verbum tuum, ut insonet auribus ; sicut ego indumento carnis, ut viderer hominibus. Et cum loqueris, obsequium vocis aurem tenus meat, verbum vero illocaliter ad animam permeat ; quia, sicut ad illum cui loqueris accedit, ita a te utique non recedit. Et si loquentem te unus audierit, totum verbum tuum penes te est, totum penes illum. Et si duo audierint, totum audiunt ; et si multi, totum : et omnibus totum, et singulis totum, et tibi totum est. Noli in te perdere tam magnum munus meum ; similitudinem meam quam tibi benignissime tribui, ut qualiter ad me tenderes, non extra te quæreres (3)... » Hoc divinæ veritatis cum humana mente colloquium, quanquam in eo mystica philosophicis aliquando intermiscentur, totum dignum est quod referatur : hic tamen sistendum est, cum nihil aliud hic quæramus

(1) Lib. I, cap. xxv, § 4, 91, 25 ; 732 D.
(2) Lib. III, cap. xi, 174, 6 ; cap. ix, § 2, 770 B.
(3) Lib. I, cap xxvi, 94, 19 ; 734 B.

nisi Claudiani doctrinam de ratione et modo quo anima nostra vim suam cogitandi exerceat.

De hac igitur magna et obscura quæstione, omnia fere protulimus quæ e Claudiani libris erui possunt. Inde quidem facile videtur quam longe fuerit ille ab opinione eorum qui cogitationem omnem e sensibus derivant. At inter philosophos qui cogitationem vere spiritualem homini adscribunt, magna etiam nunc moventur certamina. Quidam enim (quorum doctrina ex aristotelio fonte fere sumpta est) volunt cogitationis nostræ objectum esse quidem spirituale, immateriale, universale, illocale; hujus tamen objecti materiam in rebus corporeis quæ sentiuntur aliquo modo reperiri. Dicunt nempe aliquatenus verum esse principium : « Nihil est in intellectu nisi prius fuerit in sensu; » scilicet ejusdem rei percipi sensibus qualitates corporeas, et intellectu universalem, immaterialem et illocalem essentiam; volunt enim eamdem rem esse « singularem dum sentitur, universalem dum intelligitur (1) »; quia eam vim intellectui tribuunt ut a re, quæ sensu percipitur, ipse materiales qualitates præcidat et removeat, et sic illud idem quod corporis oculis objicitur, oculus mentis diverso prorsus modo cognoscat. Cum autem necesse sit mentem nostram

(1) « Et ideo dicit Boethius : *universale dum intelligitur, singulare dum sentitur,* — [Hæc habet Boethius, *de Consol.*, lib. V, prosa VI, apud Migne, t. LXIII, col. 682, A : *Omne quod sensibus patet, si ad rationem referas, universale est : si ad se ipsum respicias, singulare,*] — quia una et eadem natura, quæ singularis erat et individuatur per materiam in singularibus hominibus, efficitur postea universalis per actionem intellectus depurantis ipsam a condicionibus quæ sunt hic et nunc : unde rationem universalis et prædicabilis accipit ab ipso intellectu. » — S. Thomas Aquinas, opusculum L (in veteri edit. romana LV) *de Universalibus*, — in edit. Parmensi, t. XVIII, pp. 128-129.

aliquo lumine illustrari ad essentias rerum percipiendas, quemadmodum oculi ad corporeas qualitates discernendas sole corporeo illustrantur, dicunt philosophi illi esse quidem animæ hominis lucem propriam, vim scilicet quamdam activam intellectui inditam, qua res intelligibiles cognitioni nostræ affulgeant, et hoc lumen aliquid divinum esse libenter dictitant : ipsum enim nihil aliud est, ut asserunt, quam « quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ (1) ».

Volunt alii spiritualis cognitionis fautores ideas nostras nobiscum nasci, vel quædam saltem veluti idearum semina, quæ labente tempore, usu et experientia, paulatim succrescant et evolvantur. Alii denique contendunt nos, dum rerum essentias speculamur, ipsas divinas et æternas rationes contemplari, ideoque dicunt ipsam, quæ in Deo est, veritatem nobis aliqua ratione spectabilem esse, et Deum ipsum mente nostra conspici et ipso Verbo Dei animam, ut sole corpus, circumfundi et illuminari. Doctrinæ illæ (facile porro patet me, summa rerum vestigia secutum, eas tantummodo selegisse quæ Claudiano adscribi possint cum aliqua verisimilitudine), aliæ aliis viris in philosophia principibus placuerunt.

Si igitur quæramus cuinam ex illis Claudianus adhæserit, fateamur oportet rem in incerto manere. Videtur quidem ille ultimæ huic doctrinæ proximus esse, qua veritas ipsa, quæ Deus est, in se dicitur conspici. Hanc enim verba ipsius sonant : nec difficile est sententias decerpere ex libris Bossuetii vel

(1) Hæc verba sunt S. Thomæ, *Summ. Theolog.*, 1ª pars, quæst. LXXXIV, art. 5°.

Fenelonii, qui huic doctrinæ magna ex parte faverunt, sententiis Claudiani simillimas (1). Immo, cum mentem nostram Claudianus ostendit ea luce illustrari quæ « illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », et cum divinam veritatem cum homine silentio loquentem describit, nonne assentiri videtur ipsi Malebranchio, horum philosophorum de quibus nunc dicimus notissimo? Nonne in libris *de Inquisitione Veritatis* eadem doctrina invenitur, quæ in

(1) Cum dicit Claudianus harum omnium figurarum quibus geometræ utuntur ideas æternas in veritatis lumine videri (lib. I, cap. xxv), proximus est Bossuetio scribenti : «... Où les ai-je vus ces cercles et ces triangles si justes, moi qui ne puis m'assurer d'avoir jamais vu une figure parfaitement régulière, et qui entends néanmoins si parfaitement cette régularité?... Il faut donc entendre que l'âme faite à l'image de Dieu, capable d'entendre la vérité, qui est Dieu même, se tourne vers son original, c'est-à-dire vers Dieu, où la vérité lui paraît autant que Dieu la lui veut faire paraître. » (*Connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. iv, § 9, — édit. Guillaume, t. VIII, p. 117.) — Cum putat Claudianus veritatem mente videri illocaliter, et rerum æternas ideas pariter simul et in oriente et in occidente omnibus hominum animis apparere (lib. I, cap. xxv, § 4), utitur verbis similibus verbis quibus Bossuetius et Fenelonius loquuntur de veritate et ratione universali, immutabili et æterna, omnium hominum magistra. « Au dedans, dans le fond du cœur, vous et moi écoutons la vérité qui nous parle et qui nous enseigne. Je la vois donc, la vérité, et vous la voyez ; et tous ensemble nous voyons la même, puisque la vérité est une ; et la même se découvre encore par toute la terre à tous ceux qui ont les yeux ouverts à ses lumières. On ne peut donc déterminer où elle est, quoiqu'elle ne manque nulle part. Elle se présente à tous les esprits ; mais elle est en même temps au-dessus de tous... » (Bossuet, 3e *Sermon pour la fête de tous les Saints*, 1669, 3e point, édit. Guillaume, t. VI, p. 632.) — « C'est elle [cette raison supérieure] qui fait que les géomètres chinois ont trouvé à peu près les mêmes vérités que les Européens, pendant que ces peuples si éloignés étaient inconnus les uns aux autres. C'est ce qui fait qu'on juge au Japon que deux et deux font quatre ; et il ne faut pas craindre qu'aucun peuple change d'opinion là-dessus. » (Fénelon, *de l'Existence de Dieu*, première partie, ch. ii, § 56, — *Œuvres de Fénelon*, édit. 1830, t. I, p. 74.) — Cf. idem opus Fenelonii, *passim*.

libris *de Statu animæ* : magnum bonum esse animam hominis, Deum inter et corpora interjectam, Deo tamen propiorem quam corporibus : quæ, si veritatem assequi cupiat, ad Deum, qui nunquam ab anima abest, et velut locus est animarum, debeat adspicere, et in eo visibiles rationes rerum contemplari (1). Itaque non mirum est eos qui Malebranchio vel ejus doctrinæ plus minusve immutatæ adhæserunt, et qui Ontologi dicti sunt, Claudianum adnumerasse inter veteres hujus opinionis propugnatores.

Hic tamen, audenter fortasse, at libere liceat dicere mihi videri multum interesse inter Claudianum et philosophos illos, qui visionem, ut dicunt, idearum in Deo asseruerunt. Probabilius multo videtur Mamertum quæstionem de origine idearum eousque solvisse quousque necesse erat ad suum adversarium confutandum, et ideo sæpe et clare dixisse ideas esse ab

(1) Cf. hunc locum Malebranchii in quo fere invenitur, verbis saltem, si non re ipsa, doctrina Claudiani : « L'esprit de l'homme se trouve, par sa nature, comme situé entre son Créateur et les créatures corporelles ; car selon saint Augustin, il n'y a rien au-dessus de lui que Dieu, ni rien au-dessous que des corps. Mais, comme la grande élévation où il est au-dessus de toutes les choses matérielles n'empêche pas qu'il ne leur soit uni, et qu'il ne dépende même en quelque façon d'une portion de la matière, aussi la distance infinie qui se trouve entre l'Être souverain et l'esprit de l'homme n'empêche pas qu'il ne lui soit uni immédiatement, et d'une manière très intime. Cette dernière union l'élève au-dessus de toutes choses. C'est par elle qu'il reçoit sa vie, sa lumière et toute sa félicité ; et saint Augustin nous parle en mille endroits de ses ouvrages, de cette union comme de celle qui est la plus naturelle et la plus essentielle à l'esprit. Au contraire, l'union de l'esprit avec le corps abaisse l'homme infiniment ; et c'est aujourd'hui la principale cause de toutes ses erreurs et de toutes ses misères. » *Préface de la Recherche de la Vérité,* édition de M. Fr. Bouillier (Paris, Garnier), — t. I, p. 1. — Cf. *Recherche de la Vérité* : livre III^e^, de l'Entendement, 2^me^ partie, chap. VI : *Que nous voyons toutes choses en Dieu* ; — chap. VII, § 2 ; — X^me^ *Eclaircissement*, — et *passim*.

omni materia remotas, easque videri in lumine prorsus diverso a lumine corporeo; eum præterea usum esse verbis ambiguis et mystico dicendi genere, quod a neoplatonica schola Plotini mutuatus erat, cum locutus est de conversione mentis ad Deum et de lumine mentis divino; eum tamen non definivisse quæ sit vera natura hujus luminis, utrum Deus ipse sit directe visus, an virtus quædam et qualitas activa mentis nostræ.

Re enim vera, doctrina hæc qua Deus dicitur ab humana mente directe attingi, prima fronte parum credibilis est, et conscientiæ testimonio non satis consonat. Mirum igitur esset si quis eam proponeret nullo fere dato argumento ad eam confirmandam : id non est ausus Malebranchius ipse, qui rationes sibi et argumenta comparare conatus est. Nullum vero tale argumentum apud Claudianum reperire est.

Nec potest e Claudiani scriptis locus ullus proferri, in quo ille aperte dicat mentem humanam intuitu suo ideas in ipso Deo perspicere. Animam quidem dicit Deum videre et veritatem quæ Deus est : at ipse fatetur videre Deum idem esse atque intelligere Deum (1), nec dicit utrum anima illum directe contempletur, an vi ratiocinii cognoscat atque intelligat. Necesse dicit esse nos supra res corporeas elevari, et ad divinum lumen mentem nostram converti : at cur non divinum appellet lumen ipsum intellectus, cum hoc a Deo descendat et sit imago divinæ sapientiæ, ut ipse toties in tribus suis libris affirmat (2) ? Verbum ipsum Dei describit « lo-

(1) Lib. I, cap. XXII.

(2) Cf. in hac thesi, cap III, argumentorum, fontem 5um : de divina similitudine in anima hominis.

quens nobis silentio » : at in hoc mystico capite, nihil aliud, ut puto, affirmat nisi hominem a Verbo Dei doceri, et silentio doceri, scilicet cum ipse veritati quærendæ attentus est, tum ipsa ratione, quæ est donum et imago Verbi, tum per Scripturam sacram, quæ in eodem capite sæpissime profertur.

Denique jam vidimus Claudianum in rebus plerisque doctrinæ sancti Augustini adhærentem : neque in ea parte tanti magistri vestigia deseruit. Verba ejus quæ retulimus omnino consonant locis illis notissimis quos omnes referunt qui quæstionem de origine idearum in libris Augustini investigant. Fatear porro necesse est, nec locos illos nec cetera quæ sæpe proponuntur argumenta mihi hucusque persuasisse visionem idearum in Deo, qualem Ontologi proponunt, ab Hipponensi doctore fuisse traditam. Nemo quidem melius vel uberius quam Augustinus monstravit intellectum a sensibus distingui, et ideas universales, æternas ac semper veras a nobis percipi, et animam hominis Deo similem ac vicinam esse, et lumen intellectus esse aliquid divinum, et Deum menti nostræ admirabili modo innotescere : nusquam tamen, ut opinor, ille dixit Deum ipsum animæ nostræ directe spectabilem esse, vel ideas æternas rerum quæ in eo subsistunt (1).

(1) Id si probandum esset, eodem modo de Augustino argumentarer quo de ipso Claudiano. At omnia verba Augustini quæ proferuntur expendere, et quærere quo sensu ea dicta sint, opus esset immensum. Vim puto aliquam inesse huic argumento, quod de Claudiano proposui : si Augustinus doctrinam eam novam et miram protulisset, eam probare studuisset. D. Ferraz in thesi sua, in qua multa laude dignissima legimus, (*De la Psychologie de saint Augustin*, 1862,) tum putat Augustinum visionem idearum in Deo docuisse, tum miratur eum rationes non collegisse, ad eam demonstrandam. Nos huic admirationi locum præcidimus, dum

Ceterum altius inquirere quænam in hac parte fuerit Augustini doctrina, et longum est, et extra propositum nostrum. De solo enim Claudiano sermo habetur. Id igitur demum declaremus : Claudianum ab Augustini doctrina circa ideas et earum originem videri non discessisse, et eumden Claudianum nullo loco satis clare dixisse ideas in ipso Deo videri, ut hæc opinio ipsi adscribenda sit.

negamus talem fuisse Augustini sententiam. — De opinione S. Augustini circa originem idearum commemorare liceat opus in Italia notissimum : *Teoria della Conoscenza intellettuale,* auctore P. Matthæo Liberatore, S. J., Romæ, 1857, cap. v, art. 6. — Traduction française, par l'abbé E. Sudre, Tournai, Castermann, p. 288.

CAPUT VII.

DE FONTIBUS E QUIBUS CLAUDIANUS DOCTRINAM SUAM HAUSIT.

Hucusque Claudiani doctrinam fere omnem exposuimus et expendimus. Auctorem vero quo plenius cognoscamus, restat ut ipsum cum ceteris philosophis comparemus : cum antiquioribus, ut sic appareat quorum scholis adhæserit, quosnam maxime sectatus sit, quænam tamen ipsius fuerint propriæ et genuinæ dotes; cum recentioribus, tum ut ostendamus quibusnam similior sit et propior, et in quanam philosophorum veluti gente et familia recensendus, tum ut declaremus quid firmum et velut vivum in ejus doctrina manserit, tum denique ut inquiramus num ex ipsius libris quidam scriptores aliquid mutuati sint. In præsenti capite de his philosophis disseramus qui Claudianum tempore antecesserunt. Indagemus igitur : 1° Quid Mamertus debeat Græcis et Romanis philosophis; 2° Quid Patribus ecclesiasticis; 3° Quid sancto Augustino, quem inter omnes fideliter secutus est.

§ I. — DE GRÆCIS ET ROMANIS PHILOSOPHIS.

Profitetur Mamertus futurum fuisse ut in opere suo nullum testimonium e profanis scriptoribus proferret, nisi eos Faustus ipse testes appellasset (1). Potuisset quidem fortasse nullum locum ex eorum libris decerptum suis inserere, minime vero eorum doctrinam non redolere : eos enim et apprime noverat et maxime admirabatur. Quid magnum fuerit, quid laudabile in tantis viris, ipse exponit in pulcro capite quod libri secundi secundum est, et inscribitur : *Quomodo philosophi mundi indagaverint veritatem, gradatimque ad Deum usque pervenerint.* « Quoniam, inquit, mortalium generi natura datum est ut abstrusa fortius quærat, ut negata magis ambiat, ut tardius adepta plus diligat, eo flagrantius ametur veritas quo vel diutius desideratur vel laboriosius quæritur, vel tardius invenitur : hinc factum est ut philophi quoque excellentibus ingeniis, multimodis doctrinis, pugnantibus sententiis, longis seculis de eadem veritate quærentes, ab usque Pythagora Italico vel Ionico Thalete semper exstiterint qui, dissidentibus aliis, vel in parte operis aliquid dignum tanta indage sentirent. Unde etiam Doctor gentium non tam ignaros veri philosophos judicat, quam cogniti contemptores accusat... Ergo cognoverunt, et ingressa est divinitatis abditæ mens humana secretum, transcensisque cor-

(1) Lib. II, cap. III, § 1.

poreis omnibus emirata illum videlicet universitatis vidit esse creatorem, qui non solum corporea universa præiret, sicut irrationalis anima, neque hanc etiam sicut rationalis antecelleret, sed qui his simul omnibus longe incomparabili potentia præstaret (1)... » Deinde pergit et ostendit quomodo humana sapientia supra se incorporeum Deum agnoverit.

In hoc capite satis declarat Claudianus quomodo philosophiam amet, cuinam generi philosophiæ studeat. Non enim aliquem sibi magistrum delegit, in cujus verba juret, cujus placitis in omnibus adhæreat : ipsam sapientiam in scholis omnibus anquirit : ex omnium, vel inter se in multis rebus dissidentium, libris et opinionibus, ipsam veritatem conatur eruere, quæ una est : tunc gaudet, cum videt philosophos, non hunc vel illum, sed omnes simul nobilissimos et excellentissimos in unam aliquam doctrinam convenire, ac velut ipsam generis humani mentem ad veritatem ferri et in ea quiescere. Timet enim « ne localiter veritatem quæsisse » videatur, quasi veritas « ab una tantum videri gente quiverit, et aliis ignorata sit; cum veri compos humana substantia non sit regione, sed genere (2). »

Ideo omnes quorum vel nomina tantummodo cognoscit, testes advocat. Fama quadam acceperat philosophos quosdam et tempore et patria remotissimos, quorum, ut puto, nullum omnino opus legere potuerat, incorpoream naturam animæ tribuisse : hos proferre gaudet : « Quid, inquit, ego nunc Zoroastri, quid Brachmanum

(1) Lib. II, cap. II, 101, 4 ; 736 D.

(2) Lib. II, cap. VIII, 129, 6 ; 749 D. — Cf. et hæc : « In adstructione veri magis considerandum est quid unum multi dixerint, quam quid unus sæpe dixerit. » Lib. II, cap. VII.

ex India, quid Anacharsidis e Scythia...... in defensionem veri sententias afferam? Quid orbis universi de animæ statu nobis concrepare judicium, in his dumtaxat qui merito enituere, convincam (1)? »

Illos Mamertus fama noverat, Græcos et Romanos philosophos quotidiano usu et familiari consuetudine. Romanos quidem philosophos brevius laudat quam vellemus : pauciora enim de illis documenta ad nos usque venerunt. Catones et Ciceronem tantummodo nominat. Sallustium Crispum obiter appellat « qui ab ipso pene principio sui operis animo dominandi jus tribuit, corpori legem servitutis imponit (2). » Varronem ampliore laude celebrat, et verbis quæ ostendant illum altiorem doctrinam secutum esse, saltem in aliquot operibus, quam doctrina fuit Stoicorum, quibus vulgo adscribitur : « Marcus Varro, sui seculi peritissimus, et teste Tullio omnium sine dubitatione doctissimus, quid in Musicis, quid [in Arithmeticis] (3), quid in Geometricis, quid in Philosophomenon libris divina quadam disputatione contendit, nisi ut a visibilibus ad invisibilia, a localibus ad illocalia, a corporeis ad incorporea, miris æternæ artis modis abstrahat animum, et in corpora, hoc est in adversa sibi, dilapsum sui compotem faciat (4)? » Sextios præterea laudat, patrem et

(1) Lib. II, cap. VIII, 130, 10 ; 750 C.— Zoroastrum, Brachmanas et Anacharsim fama, non libris suis, tunc notos fuisse in Occidente pro certo haberi potest. De Zoroastro pauca quædam et incerta refert S. Augustinus lib. XXI *de Civit. Dei*, cap. XIV.

(2) Lib. II, cap. VIII, 139, 12 ; 750 C. — Hæc sententia in principio *Catilinæ* invenitur. Quapropter certum est hoc loco legendum esse *Crispum* cum D. Engelbrecht, non *Chrysippum* cum reliquis editoribus.

(3) Hæc verba supplent editores.

(4) Lib. II, cap. VIII, 130, 2 ; 750 B.— Apud Migne: Φιλοσοφουμένων.

filium, qui, « propenso in exercitium sapientiæ studio, apprime philosophati sunt, atque hanc super omni anima attulere sententiam : Incorporalis, inquiunt (1), omnis est anima, et illocalis atque indeprehensa vis quædam, quæ sine spatio capax, corpus haurit et continet (2). »

Hic vero, quo plenius Mamertus innotescat, non modo eos philosophiæ fontes ad quos accessit referre debemus, verum et mirari quod fontes quidam intacti ab eo relicti fuerint : Senecam potissimum dico, qui tamen et princeps exstitit inter Romanos sapientes et apud Christianos plerumque in honore habitus est (3). Videtur tamen ille a Claudiano et ejus amicis fuisse neglectus : etenim ne nomen quidem illius invenimus tum in libris *de Statu Animæ*, tum in epistola qua Romanos quosdam scriptores Mamertus rhetori Sapaudo commendat, tum in epistola qua Sidonius, ut Mamertum laudet, eum cum omnibus præstantissimis viris comparat. Verisimile est Senecam non magno in honore fuisse in his rhetorum scholis apud quas Claudianus et Sidonius studuerant : in eis enim multum legebatur Fronto, in Senecam malevolus. Præterea suam de anima non corporea doctrinam Claudianus aut parum aut minime apud Senecam inveniebat. Sæpius enim Seneca adhæret Stoicorum

(1) Mira hæc vox : *inquiunt*, cum verisimile non sit eadem verba ab utroque scripta fuisse. At fortasse Claudianus verba ipsa Sextiorum non refert, sed doctrinam ambobus communem; vel jam tempore Claudiani circumferebantur quidam libri eorum philosophorum, cum hoc titulo : *Libri Sextiorum*, nec pater a filio satis distinguebatur. Ambos, quanquam Romani erant, græce scripsisse notum est.

(2) Lib. II, cap. VIII, 129, 8 ; 750 A.

(3) De Seneca sat pauca habet S. Augustinus. Famam, qua philosophus dicebatur ad Paulum apostolum scripsisse, minime rejicit. Cf. *Epist.* CLIII (alias *Epist.* LIV), cap. v, § 14.

placitis, qui animam materiam esse putabant. Atqui ex hac Stoicorum schola (quanquam unum aut alterum stoicum obiter recenset), scriptor pauca mutuatus est. Multo etiam minus in hortis Epicuri versatus est : Epicureos, haud secus ac Cynicos vel scepticos, inter ignobiliorum turbam amandabat.

Inter præcipuos græcæ philosophiæ magistros, illos potissimum sectatus est qui supra sensus et materiam sese extulerunt, et sublimiorem doctrinam tradiderunt. « Vocem veritatis, inquit, accipiat [adversarius], et geminæ primum Græciæ classicum, multisona Pythagoreorum tuba, et lituum Platonis exaudiat (1). » Ad Pythagoreorum placita ferebatur et subtilitate ingenii, et nescio qua innata cupidine res scrutandi reconditas et religiosa caligine obvolutas. Quas doctrinas a Pythagoreis mutuatus sit, et potissimum a Philolao Tarentino, jam supra fuse retulimus, cum disseruimus de numero, pondere et mensura.

Sat magnam veritatis partem Pythagorei mystico quodam intuitu et mystica methodo assecuti sunt : partem majorem Plato invenit et vi ratiocinii confirmavit. Tali igitur ac tanto magistro Claudianum potissimum addictum fuisse nemini mirum esse videbitur. Satis porro patet ex omnibus hujus theseos capitibus quam platonicus sit scriptor noster : platonicam doctrinam pythagoreæ admiscet, in evolvenda ratione numeri, ponderis et mensuræ; platonicum se præbet magna ex parte in modo exponendi quomodo mens

(1) Lib. II. cap. III, § 1, 105, 1 ; 738 C. — Deserere nolui D. Engelbrecht : fateor tamen me anteponere lectionem quæ apud Migne invenitur : « Geminæ primum Græciæ classicum, multisonam Pythagoreorum tubam et lituum Platonis exaudiat. »

operetur ; platonicum hoc placitum innuit, scilicet hominem ipsum anima constitui, cui corpus movendum consociatum sit (1) ; platonicus est in præcipua operis sui parte, nempe in iis argumentis quibus demonstrat animam a corpore prorsus esse diversam ; denique Platonis hujus quem « maximum inter philosophos virum (2) » appellat, cujus « animam corpoream fuisse sibi persuadere non potest (3) », Claudianus se discipulum esse et asseclam clarissimis verbis profitetur. « Ego, inquit, Platonem, prout mea opinio est, philosophorum omnium merito principem, in negotium præsens admiratione sui pellectus, testem sæpe vocitavi (4). »

Nec doctrinam platonicam apud Platonem solum Mamertus hausit, verum etiam, ut plerique scriptores ecclesiastici qui primis a Christo seculis vixerunt, ad Neoplatonicorum fontes accessit. Unum ex hac schola nominat Porphyrium, qui a Platone magistro minime de animæ natura dissensit. « Illustri quippe voce genus humanum suæ dignitatis admonuit. Si beati, inquit, esse volumus, corpus est omne fugiendum (5). » At quanquam hunc solum laudat Claudianus, alia tamen non pauca leguntur in libris *de Statu Animæ*, quæ Plotinum quoque, Porphyrii antecessorem et magistrum redoleant. Permulta enim quæ docet Mamertus de modo quo Deum cognoscimus cum ab eo removemus

(1) Lib. II, cap. XII, § 10.
(2) Lib. II, cap. VII, § 6, 127, 8 ; 749 A.
(3) Lib. II, cap. VII, § 3, 122, 21 ; 747 A.
(4) Lib. II, cap. VII, § 7, 123, 8; 749 C. — Eodem loco Timæum Platonis « arcem quamdam et philosophiæ verticem » appellat.
(5) Lib. II, cap. VII, § 7, 128, 14; 749 C.

omnia quæ creatis rebus congruunt (1), et de motu tum animarum tum corporum, quem Deus ciet immotus, et de similitudine animæ humanæ cum divino intellectu, et de conversione mentis nostræ ad lumen divinum, et de quodam commercio animæ cum divina sapientia, postquam a corpore et a sensibus recesserimus (2), nonne, inquam, hæc omnia si non eodem sensu et eadem omnino doctrina (nam et Claudianus et Patres ceteri ecclesiastici in multis a Neoplatonicorum doctrina discedunt), at saltem eodem fere modo, iisdem comparationibus, iisdem quandoque verbis in libris *Enneadum* leguntur? « Recte dicitur, inquit Plotinus, bonum pulcrumque animæ in eo consistere ut Deo sit similis (3). » Et alibi : « Abeamus hinc, amici, in patriam dulcem confugientes. Quænam igitur fugiendi ratio, et qua via veneficia Circes Calypsusque devitabimus? Quod quidem, licet perobscura, Ulyssis significat fabula : quæ illum fingit manere nolentem, quamvis spectacula illi oculis jucunda occurrerent, et cetera quæ sensus oblectant promitterentur. Patria vero nostra ibi est, unde venimus, ibidem quoque pater. Quænam igitur profectio et quæ fuga? Haud sane pedibus est fugiendum. Pedes enim ab alia passim in aliam ferunt terram. Neque rursus equos ad vehendum, neque naves ad navigandum hujus gratia parare debemus : immo vero hæc cuncta dimittere, neque prospicere quidem, sed visu corporis clauso alterum pro hoc visum assumere atque suscitare, quem

(1) Cf. lib. I, cap. XIX.

(2) De purgatione, cf. Plotin. *Ennead.* I, lib. VI, § VI; *Ennead.* III, lib. VI, § V.

(3) *Ennead.* I, lib. VI, § VI, in edit. Didot, p. 34.

habent quidem omnes, quo vero utuntur perpauci (1). » Nonne hæc et talia redolere Claudianus videtur? Præterea, tum in *Enneadis* tertiæ libro sexto : περὶ τῆς ἀπαθείας τῶν ἀσωμάτων, tum in tota quarta Enneade, in qua de anima hominis disputatur (2), alia sunt quæ Claudianus legerat, et quorum videtur sæpe reminisci (3).

Claudianus igitur quanquam nullius sectæ philosophorum insignia sumpserat, se platonicum esse libenter profitebatur : Aristotelem vix in tribus libris nominavit. Stagiritæ tamen philosopho non pauca debebat. « Implicat ut Aristoteles, » scribebat S. Sidonius de amico suo : siquidem non tantummodo in Stoicorum libris dialecticam Claudianus didicerat, verum etiam diu multumque, tum adolescens cum sub Eusebio magistro studeret (4), tum cum solus philosopharetur, sese in Peripateticorum palæstra exercuerat. Hinc syllogismos struere, hinc veritatem demonstrare, hinc urgere adversarium didicerat. Præterea, categorias illas aristotelias ipse ut notissimas profert (5), illisque per totum opus utitur : illud enim schema in quo doctrinam suam breviter collegit : « Deus summum bonum sine qualitate et quantitate, » et cetera quæ jam retuli, quid, inquam, hoc schema, quid hæc

(1) Plotin, *Ennead.* I, lib. VI, § VIII, in edit. Didot, p. 36.

(2) Cf. exempli gratia librum Vum, qui est *de Visione* (hic liber etiam vocatur *tertius de Dubiis animæ*).

(3) Hæc etiam doctrina qua Angelis corpora tribuit Claudianus aliquid habet neoplatonicum. Cf. inter permultos alios locos Plotini *Ennead.* IV, lib. III (qui *primus* est *de Dubiis animæ*,)§ XVIII. — Quid simile habeat Claudianus Plotino jam ex parte adnotaverat Gaspar Barthius, in suo commentario.

(4) Cf. quæ diximus cap. I.

(5) Lib. I, cap. XIX.

omnia sonant, nisi aristotelias categorias? Hæc enim, si quis Aristotelis doctrinam ignoret, vel intelligi non possunt. Doctrinam quoque notissimam de materia et forma obscuris verbis Mamertus innuit (1). Diximus denique omnia ea quæ tradit de motu, tempore et spatio, — et hæc magna pars est operis Claudiani, — niti aristoteliis definitionibus (2). Plura igitur quam confessus est, immo plura fortasse quam ipse putavit, ab Aristotele mutuatus est. Illum tamen quasi prætermittere videtur : vel quia Stagirites a quibusdam veteribus scriptoribus christianis male audierat, vel quia, (qua de causa nescio,) ipse veritus est, ut multi etiam nunc vereri videntur, ne se Aristoteli adhærere palam profiteretur. At re vera Claudianus, ut fecerunt tum philosophi e schola neoplatonica, tum multi inter Patres ecclesiasticos, ea quæ inveniuntur tum apud Platonem, tum apud Aristotelem, in unum coegit, et consona inter se, quantum potuit, effecit.

Dicamus igitur Mamertum Platonicis et Peripateticis potissimum esse debitorem. Id summatim declarare perutile videtur sub finem hujus articuli. Vereor enim ne, cum tot philosophorum sectas nominaverim, e quibus scriptor noster aliquid mutuatus esse videtur, et tot sententias retulerim ab eo hinc inde delibatas, legentibus obscurum fecerim cuinam potissimum scholæ ipse sit adscribendus. Id porro judicandum est, non ex una aut altera horum vel illorum opinione, quam fortasse laudaverit, sed ex opinionibus quæ sint philosophiæ ejus velut fundamenta.

Nobis rem ita considerantibus facile apparet eum,

(1) Lib. I, cap. x.
(2) Cf. hujus theseos cap. iv.

cum permulta legisset, verba quædam sibi e variis libris selegisse, et adjumenta quædam vel ornamenta undique desumpsisse, ipsum vero doctrinæ suæ corpus e duabus illis scholis, quæ ceteris omnibus apud veteres facile præstiterunt, accepisse.

Jam vero, ut Claudianus multos philosophos testes advocat at duos tantummodo duces habet et magistros, sic non paucos ecclesiasticos scriptores laudat, unum tamen præ ceteris sequitur, eumque iisdem platonicis et aristoteliis disciplinis imbutum. Id rogo lectorem ut præ oculis habeat, dum duos articulos percurret qui sequentur : primum enim dicemus de Patribus e quibus Claudianus pauca mutuatus est, postea de illo cujus vestigiis constantissime inhæsit.

§ II. — DE PATRIBUS ET SCRIPTORIBUS CHRISTIANIS.

Vetustissimos inter Patres Ecclesiæ Claudianus non recenset : de nullo enim meminit qui ante seculum quartum scripserit. Cur autem antiquiores quæsivisset, cum hoc seculo præstantissimi inter scriptores christianos exstiterint ? Inter Græcos Patres, unum laudat Gregorium Nazianzenum : « Gregorius Nazianzenus, inquit, in *Apologetico*, magnum inter animam et corpus clamat esse discrimen, atque ut corpus corporalibus pasci, sic animam incorporeis saginari (1). »

(1) Lib. II, cap. IX, § 1, 131, 8 ; 750 D.

His dictis, statim ad Romanæ Ecclesiæ Patres deflectit. Hinc verisimile est Mamertum multo minus manu versavisse exemplaria Græcorum Patrum quam latinorum : et fortasse illo seculo, cum Barbari Occidentale imperium occuparent, et omnia in armis essent, græca volumina eorum Patrum qui non multo ante scripserant, nondum allata erant in Galliam.

Hic tamen quæstio alicujus momenti exoritur : noveratne Claudianus Nemesii, Emeseni episcopi, librum περὶ φύσεως ἀνθρώπου ? Ille quidem scriptor de anima hominis egregie disserit : in secundo capite (tria Nemesii capita singula ita longa sunt, ut libri dici possint,) permulta proponuntur argumenta, quibus anima non corporea esse demonstretur. Quid plura ? si quæreretur quisnam liber, inter opera scriptorum ecclesiasticorum, simillimus sit libro Claudiani, Nemesii liber nominandus esset. Attamen de illo Claudianus omnino tacet. Ideo autem tacet, ut mea est opinio, quia non legerat. Cum enim videatur multa alia scripta ignorasse, quæ Græci seculo quarto ediderant, non mirum est eum de Nemesio nihil audivisse. Emesenus enim præsul, quanquam ob magnum ingenium laudandus, non eam tamen famam obtinuerat quam S. Gregorius Nazianzenus vel S. Basilius vel S. Joannes Chrysostomus. Putemus igitur, licet nihil in hac re affirmari possit, librum περὶ φύσεως ἀνθρώπου, non venisse in manus Mamerti : argumentorum, quæ apud utrumque inveniuntur, similitudinem eo facile explicari, quod uterque ex iisdem fontibus, ac præsertim ex platonicis, hauserit.

Inter Patres Romanæ Ecclesiæ, testem adhibet beatum Ambrosium Mediolanensem populum docen-

tem « verbo doctissimo atque erudissimo (1) ». S. Hilarium Pictavum opinatur quidem Mamertus scripsisse nihil creatum esse nisi corporeum (2) : quem tamen « opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevisse » subjicit. In nostra tamen Gallia suffragantem sibi producit S. Eucherium illum Lugdunensem episcopum, quem ipse adolescens viderat, dum studebat Lugduni : hic in contione ad populum incorpoream esse animam hominis professus est, cum docuit duas res, corpoream unam, incorpoream alteram, in hominis persona commisceri.

Claudianus demum iis duobus potissimum studuerat, quos ipse « virtutum doctrinarumque præeminentia longe porro præditos (3) » dicit, et posteri, ab eo minime dissentientes, præstantissimos inter Romanos Patres agnoverunt. Malo quodam fato, Faustus Reiensis Hieronymum assertoribus corporalitatis adnumeraverat : quod certe non fecisset si ejus opera vel summis labris attigisset (4). At Mamerto S. Hieronymi

(1) Lib. II, cap. IX, § 1, 131, 12 ; 750 D.

(2) Lib. II, cap. IX, § 3, 134, 18 ; 752 B. Alludit, ut videtur, ad verba quæ leguntur in *Commentario in Matthæum*, cap. V, § 8, — apud Migne, t. IX, col. 946-947. Attamen minime liquet S. Hilarium hoc loco dicere animam vere et proprie corpoream esse. Cf. notas ad hunc locum in editione Migne, et, in eadem editione, *Præfationem generalem* Benedictinorum in Hilarium, § IX : *An Hilarium fugerit rerum spiritualium notitia*, — t. IX Patrologiæ, col. 115 *et seq.*, ubi expenditur judicium Claudiani de S. Hilario. — (De altero errore mere theologico quem Claudianus putat se apud Hilarium deprehendisse, cf. eamdem *Præfationem generalem*, § III, col. 52 *et seq.*) — Ceterum, etsi locus hic *Commentarii in Matthæum* aliquid habet obscuritatis, certum est S. Hilarium alibi docuisse animam esse incorpoream. Cf. locos laudatos a Benedictinis, et inter cet. *Tractatum in Psalmum* CXXIX, §§ 4, 5, 6, — in Patrol. Migne, t. IX, col. 720-721.

(3) Lib. II, cap. IX, § 2, 134, 3 ; 752 A.

(4) De his verbis Hieronymi : « Globos siderum corporatos esse spiritus

libri maxime noti erant : nota ea quæ *de Anima et ejus origine* Augustinus ad Hieronymum scripserat, nota ea quæ responderat Hieronymus : ille igitur utrumque secum consentire jure summo affirmat. At, quanquam Bethlehemitæ anachoretæ libris studuerat, multo parcius ex iis hausit, quam ex Augustini operibus. Erat enim Hieronymus « tractator », ut illo seculo dicebant, Scripturarum videlicet interpres : Mamertus non sacrorum librorum expositionem, sed philosophicam doctrinam in suo opere requirebat : quam longe uberiorem et elegantius expositam apud Augustinum inveniebat. De eo igitur plura peculiari articulo dicenda videntur.

§ III. — MAMERTUS CLAUDIANUS S. AUGUSTINUM MAXIME IMITATUS EST.

« Aurelius Augustinus, et acumine ingenii, et rerum multitudine, et operis mole, veluti quidam Chrysippus argumentandi virtute, aut Zeno sensuum subtilitate, aut Varro noster voluminum magnitudine, et qui profecto talis natura, attentione, disciplinis exstiterit, ut non immerito ab istis corporalibus nostri seculi, Epi-

arbitrantur, » vide quæ a Claudiano contra Faustum disserantur, lib. I, cap. XI et XII. — Quo in loco hæc sententia apud Hieronymum legatur, cf. in hac thesi notam nostram, cap. II, § 2, *de libello Fausti Reiensis*, § 10.

cureis aut Cynicis, spiritalis sophista, dissenserit (1)... » Hac una tantum vice Augustinum nominat Claudianus, et eum hac præclara laude exornat. At legenti tres libros *de Statu Animæ* facile apparet quantum auctor, dum scribebat, de Augustino cogitaret. Ceterum per totum hoc opus curavi Claudiani verbis locos quosdam sancti Augustini apponere quos maxime imitatus est, cum tamen multo plures referre potuissem. Re enim vera, cum omnem Claudiani doctrinam mecum revolvo, tum de animæ incorporalitate, et de rationibus quibus ea demonstretur (2), tum de relatione animæ ad tempus et locum, tum de numero, pondere et mensura, tum de animæ dignitate, mediæ Deum inter et corpora (3), tum de viribus mentis nostræ et de modo quo res anima cognoscit, minime video quid hujus doctrina ab Hipponensis episcopi doctrina differat. Nam uterque iisdem veteribus philosophis adhæsit, eamdem sapientiæ viam secutus est. Immo, si forte Augustinus aliquam opinionem sibi propriam amplexus est, ab ea diversam quam alii Patres tenuerunt, eum in hac opinione secutus est Mamertus : exemplum jam retuli de cælorum numero et ordine (4).

At præter ipsam doctrinam utrique maxima ex parte communem, nescio quot exempla, quot comparationes, quot cogitationes, quot verba apud Claudianum invenias, quæ tibi Augustinum in memoriam reducant : ita

(1) Lib. II, cap. IX, § 2, 133, 10 ; 751 C.

(2) Argumenta de incorporalitate animæ apud Augustinum inveniuntur potissimum in libris *de Quantitate animæ ; — de Immortalitate animæ ; — de Anima et ejus origine ;* — et in X° libro *de Trinitate.*

(3) Cf. Augustinum, *Tract. XXIII in Joannem*, passim, imprimis §§ V et VI.

(4) Cf. cap. IV hujus theseos.

ut vix unam aut alteram Claudiani paginam percurras, quin tecum dicas: Tale quippiam vidi apud Augustinum. Id porro evenit de rebus sat subtiliter excogitatis ut vix supponi possit eas ab utroque fuisse inventas, et non ab uno ex alterius libris desumptas. Legas, ut pauca exempla referamus, apud Mamertum : « Quanquam propter eminentiam visus, etiam quæ ad reliquos pertinent sensus, videri dicamus; sicut sæpe dicimus, *Vide quid sonat*: cum sonus ad auditum pertineat, non ad visum. Nec tamen ita dicimus, *Audi quid lucet;* quia præeminentior ceteris sensibus visus, quæ inferiorum sunt abusive sibi vindicat, cum potestatibus eorum potentiam suam non misceat (1). » Claudianus quidem nullum auctorem nominat, atque hæc verba ratiociniis suis intime conjungit; immo ipse fortassis, cum scriberet, non meminerat ubi ea legisset; attamen quis non credat hanc subtilem cogitationem ipsi ideo in mentem venisse, quod apud Augustinum repperisset : « Ad oculos proprie videre pertinet. Utimur autem hoc verbo etiam in ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus : *Audi quid rutilet;* aut, *Olfac quam niteat;* aut, *Gusta quam splendeat*; aut, *Palpa quam fulgeat*: videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non solum : *Vide quid luceat*, quod soli oculi sentire possunt; sed etiam, *Vide quid sonet*, *Videt quid oleat*, *Vide quid sapiat*, *Vide quam durum sit.* Ideoque generalis experientia sensuum concupiscentia... oculorum vocatur ; quia videndi officium in quo primatum oculi tenent, etiam ce-

(1) Lib. I, cap. VI, § 1, 42, 9; 709 A B.

teri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant (1). » Cum scriberet Claudianus : « Numquid in hac vita Deus cum anima non est, etiamsi ipsa cum Deo non sit (2)? » nonne hæc verba S. Augustini cogitabat : « Non enim, [Domine,] longe est a nobis omnipotentia tua, etiam cum longe sumus a te (3). » En alia Mamerti verba, quibus ostendit nihil sensibile nisi per quamdam analogiam in anima inveniri : « Num quippiam in intellectu tuo longum, latum aut altum vides ? Num splendor ullius corporeæ lucis ibi rutilat ? Num aliquis cantilenæ modificatus et per tempus fluens canor illic insonat, aut evanescentis fraglantiæ suavitas halat, aut aliquid istic corpulentum sapit, aut aliquid molle vel durum localiter tangit ? Visus illius clarescit sapientia, tenebrescit insipientia. Auditus illius fallacia offenditur, veritate mulcetur. Illocaliter illic fraglat æquitas, fœtet iniquitas : vanitate tabescit, virtute pinguescit. Miser est contubernio stultitiæ, beatus complexu sapientiæ (4). » Nonne hic ad animam hominis ea transfert scriptor noster, quæ de Deo prior scripsit Augustinus : « Quid autem amo, cum te amo ? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec

(1) *Confess.*, lib. X, cap. xxxv, — apud Migne, t. XXXII, col. 802. — « Sous les yeux sont en quelque sorte compris les autres sens ; et dans l'usage du langage humain, souvent sentir et voir c'est la même chose. On ne dit pas seulement : Voyez que cela est beau ; mais : Voyez que cette fleur sent bon, que cette chose est douce à manier, que cette musique est agréable à entendre. C'est donc pour cela, dit saint Augustin, que toute curiosité se rapporte à la concupiscence des yeux. » Bossuet, *Traité de la Concupiscence*, chap. viii, — édit. Guillaume, tom. IX, p. 553.

(2) Lib. I, cap. xxii, § 1, 80, 3 ; 727 A.

(3) *Confess.*, lib. II, cap. ii, — apud Migne, t. XXXII, col. 676. — Multa his verbis similia habet Augustinus, maxime in *Confessionibus*.

(4) Lib. I, cap. xxi, § 5, 76, 14 ; 725 B.

candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias cantilenarum omnimodarum, non florum et unguentorum et aromatum suaveolentiam, non manna et mella... Non hæc amo cum amo Deum meum, et tamen amo quamdam lucem et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum meum : lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei ; ubi fulget animæ meæ quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas (1)... »

Sexcenta exempla referre possim : at pluribus supersedeo. Illa satis sint « ut intelligas quam totus Augustinum sapiat hic scriptor (2) ». Hoc judicium de Claudiano proferebat Ludovicus Thomassinus, qui alio in loco eum dicebat fuisse « in Augustini doctrina versatissimum (3) », et, in scientia de anima hominis « omnium proxime ad Augustinum accessisse (4) ». Re enim vera, innumeris in locis Claudianus S. Augustini cogitationes et verba non fraudulenter usurpat, sed ideo libris suis inserit, quia menti suæ penitus inseruerat : scriptorem sibi familiarissimum quasi inscius imitatur. Sic fere inter nostrates Fenelonius veterum et imprimis Homeri libros ita ebiberat, ut homericas sententias et comparationes scriptis suis sponte immisceret.

Juvat denique hic adnotare quam cito S. Augustini opera in Gallia nostra pervulgata sint, et quam cito

(1) *Confess.*, lib. X, cap. VI, — in patrol. Migne, tom. XXXII, col. 782-783.
(2) *Dogmata theologica*, t. I, lib. I, cap. XIII, § V, p. 25.
(3) *Dogmata theologica*, t. I, lib. I, cap. XXIV, § III, p. 46.
(4) *Dogmata theologica*, t. I, lib. XIII, § V, p. 25.

doctor Hipponensis apud nostrates habitus sit fons uberrimus christianæ doctrinæ. Ab eo enim Claudiani æquales argumenta mutuabantur ad errores quoscumque devincendos. Quis nescit, ut notissimum omnium tantummodo nominem, S. Prosperum Aquitanum (1), qui decem annis ante Claudianum mortuus est, unum Augustinum in ore habuisse, hujus unius scriptis usum fuisse ad reliquias Pelagianæ hæreseos exstirpandas ? Sic seculo quinto christiani scriptores in Gallia vestigiis summorum virorum qui quinquaginta ante annis floruerant, et imprimis viri illius omnium clarissimi, fidelissimo animo inhærebant.

(1) Quia Prosperum Aquitanum nominavi, mortuum anno 465, adnotare juvat eum a quibusdam computari inter Reienses episcopos : quæ opinio minime cohærere potest cum iis quæ superius dixi de successione Reiensium episcoporum. At certum videtur S. Prosperum Aquitanum numquam Reiis sedisse. Error probabiliter ortus est a quibusdam qui eum non discreverunt a S. Prospero episcopo Regii Lepidi in Æmilia. — Cf. *Bolland. Acta SS.*, ad 25am junii, tomo XXIV, mensis junii V.

CAPUT VIII.

CLAUDIANI DOCTRINA CONFERTUR CUM DOCTRINA RECENTIORUM PHILOSOPHORUM.

Operæ pretium est, antequam huic libello finis imponatur, Claudiani doctrinam comparare cum duobus philosophiæ generibus quæ subsecuta sunt, nimirum cum scholastica et cum cartesiana disciplina (1).

§ I. — OSTENDITUR PHILOSOPHIA CLAUDIANI SCHOLASTICAM DISCIPLINAM JAM ALIQUATENUS PRÆNUNTIARI.

Unde factum est ut christiani doctores, qui primis seculis eo fere modo scribebant quo profani scriptores, eadem fere via ac methodo philosopha-

(1) Inter philosophos qui post Claudianum vixerunt, saltem nominandus est Aurelius Cassiodorus (mortuus paulo post annum 562), qu inter permulta alia brevem libellum *de Anima* scripsit (apud Migne, t. LXX, col. 1279 *et seq.*). Hunc si cum Claudiano contuleris, ingenium invenies minus acutum et aptum ad philosophandum, methodum vero in exponendo severiorem, et jam scholasticæ viciniorem. Ceterum libri *de Statu Animæ* Cassiodoro non ignoti fuisse videntur.

bantur qua Græciæ vel Romæ sapientes, novas postea vias inierint, et medio ævo opera ediderint præclara quidem, sed prorsus diversa ab operibus et scriptis quæ composita sunt primis Ecclesiæ temporibus, et maxime quarto post Christum seculo? Quomodo, exempli gratia, tantum discriminis est inter S. Augustinum et S. Thomam Aquinatem? Uterque, suo quisque modo, catholicæ doctrinæ summam fere complexus est : at Hipponensis doctor uberi stilo, libera argumentorum serie procedit, ac suo ingenio quasi permittit habenas : Aquinas vero arcta via incedit, utitur severa methodo, rigidis argumentis, horrido stilo. Quomodo ab uno genere ad alterum ecclesiastici scriptores deflexere?

Certum est tantam rerum mutationem non factam esse nisi lentissime et pedetentim : ideoque possumus, ut opinor, in operibus eorum qui in ipso limine medii ævi veterum adhuc more scripserunt, jam quædam invenire quæ Scholasticorum doctrinæ et methodo vicina sint. Quæ prima venturæ philosophiæ signa apud Claudianum breviter quærenda sunt.

Auctor quidem ille ad priorem christianæ doctrinæ ætatem totus pertinet. Hos omnes philosophiæ veteris, græcæ potissimum, thesauros quos barbara segnities in eo erat ut deperderet, notos adhuc et apertos habebat : clarissimum illud totius antiquitatis lumen, quod ignorantia et tenebræ mox obscuraturæ erant, ipse adhuc conspexerat. Ideoque per latiores doctrinæ campos spatiabatur, valde diversus a Scholasticis illis quos solus fere notus Aristoteles in angustum doctrinæ conjecit. Ille demum, inter Romanam institutionem et barbaram velut in confinio

positus, omni conatu ingruenti barbariei obsistebat, et veterem disciplinam sectabatur.

Hæc vera sunt : at vix ac ne vix quidem fieri potest ut quis inter barbaros vivatet non vel invitus aliquid barbari inde capiat. Apud Claudianum igitur barbara quædam invenias, pauciora quam apud scholasticos, barbara tamen. Jam pluries vidimus quomodo subtiliora quædam sectetur, et cogitationes quasdam pulcras existimet, cum non sint nisi exquisitæ nimis et a communi usu alienæ : idem de ratione ac modo scribendi, de stilo et lingua, dicendum est. Sic Burgundiones illi vel Alani, qui illo tempore Galliam invadebant, iis neglectis quæ ars optima et doctissima effecerat, gemmas vel vitreas, modo niterent, studiosius quam belle exsculpta ornamenta sibi requirebant.

Quo tamen intimius hanc quæstionen perscrutemur, et melius appareat quid simile Claudianus et Scholastici inter se habeant, quid dissimile, doctrinam ipsam et methodum tum Claudiani, tum Scholasticorum, inspiciamus.

Ad doctrinam quod attinet, parum omnino a Scholasticis Claudianus dissentit. Dixerit animæ vires ab ipsa animæ substantia re distingui; clarius expresserit lumen intellectus nostri non esse Verbum ipsum Dei, sed quamdam ipsius creatam imaginem : pauca jam invenias in quibus philosophia ejus a philosophia S. Thomæ differat. Uterque enim Platonis placita et Aristotelis commiscet : at S. Thomas et ejus coævi putant se soli Aristoteli adhærere, Platonem quasi inscii sequuntur ; Claudianus e contrario se platonicum esse credit, Aristoteli tamen favet plus quam ipse putat.

Jacobus ille Bruckerus, cujus *Historia critica philosophiæ* digna est adhuc quæ volvatur, in brevi pagina quam Claudiano concessit, animadvertit apud ipsum « surgentem Peripateticismum ». « Id enim, inquit, hoc præcipue seculo usu venit, ut, cum hæretici aristotelicæ potissimum dialecticæ armis validissime contra orthodoxos his præsidiis non satis munitos insurgerent, Ecclesiæ doctores ad Aristotelem, invisum prius et comtemptum, respicere cogerentur, sicque imprimis in Occidente Aristoteles caput circa hæc tempora iterum attollere inciperet. Quem cum dialecticæ subtilitatis causa Eclectici (1) quoque commendarent et prælegerent, etiam in Græcorum ditionibus iterum libri aristotelici comparere cœperunt, et ab iis inter Latinos, qui in scholis Eclecticorum philosophiam didicerunt, commendati sunt. Quæ epocha surgentis inter christianos Peripateticismi probe notanda est (2). » Non sint singula Bruckeri verba ad trutinam expensa, aliquid tamen verum hoc loco innuitur, peripateticam scilicet doctrinam paulatim christianas scholas ingressam esse, in quas demum, post variam pro variis temporibus fortunam, præstantissimi inter Scholasticos eam pleno jure acceperunt et foverunt.

Jam vero in methodo major est discrepantia. Minime enim apud Claudianum invenias ea quæ sunt Scholasticis usitata : scilicet materiam omnem tractandam in certas quæstiones distribuere ; quæstiones singulas ex ordine evolvere ; nihil affirmare quod non statim syllogismo probetur ; objecta proponere et solvere.

(1) Sic vocat Bruckerus Neoplatonicos.

(2) Jacobi Bruckeri *Historia critica philosophiæ*, tomo III, p. 523.

Hanc, inquam, omnem methodum, maxime ad docendum aptam, apud Mamertum frustra requiras. Ipse enim, ut solebant veteres scriptores ecclesiastici, doctrinam suam non διδακτικῶς proponit, sed oratorum more, vel potius viri eruditi et urbani, tum virum sibi amicum, tum adversarium reluctantem familiariter alloquentis (1); non sola syllogismorum via incedit, at sæpe uberiore eloquio fluit, et ampliores sapientiæ et eloquentiæ amnes effundit. Attamen, si non methodum ipsam Scholasticorum, quædam saltem ejus initia ac velut prænuntia signa apud Claudianum deprehendere est.

Nonne enim illis perpugnacibus scholis et consessibus medii ævi aliquid jam simile habebant Lugdunenses scholæ vel conventus illi philosophorum, quos Claudianus apud se cogere solebat? Nonne ipse, horum conventuum præses, Roscelini aut Abælardi cujusdam habitu, discipulorum disputationes moderantis, nobis a Sidonio describitur (2)?

In scholastica porro argumentandi ratione, inter « syllogismorum reluctantium contrarietates », plerumque « verbi gladius (3) » quæstiones secat solerti aliqua distinctione. Quoties his armis jam Claudianus utitur! Quoties animam dicit magnam esse « virtute, non mole », moveri « per tempus, non per locum » ! Addas : *concedo* et *nego*, ita ut dicat : « Virtute, *concedo*, mole, *nego*, » jam *in forma* auctor distinguet. At, in scholastica methodo, nulla distinctio

(1) Claudianus enim modo orationem dirigit ad Sidonium, modo ad Faustum.

(2) Cf. *Epistolam* S. Sidonii XI libri IV, jam sæpe laudatam.

(3) Verba S. Sidonii, *ibidem*.

melior, nullus gladius ad solvendum acutior, quam si adverbiis utaris, adverbiis potisimum quæ in *ter* desinant, et dicas exempli gratia : « *Accidentaliter*, concedo, *substantialiter*, nego. » Talium scripta Scholasticorum plena sunt. Atqui in Claudiani libris hæc suo jam tempore Barthius adnotaverat, et nuper D. A .Engelbrecht recensuit, et ego post eos accuratius numerare tentavi, non omnibus, ut puto computatis (1) : « *Accidenter*, *accessibiliter*, *animaliter*, *carnaliter*, *corporaliter*, *delectabiliter*, *essentialiter*, *figuraliter*, *illocaliter*, *immobiliter*, *immortaliter*, *incommutabiliter*, *inconfusibiliter*, *incorporaliter*, *incorporabiliter*, *indifficulter*, *indissociabiliter*, *indissolubiliter*, *ineffabiliter*, *intelligibiliter*, *intellectualiter*, *intellectuabiliter*, *irreprehensibiliter*, *judicialiter*, *localiter*, *mendaciter*, *naturaliter*, *passibiliter*, *pœnaliter*, *potentialiter*, *primordialiter*, *principaliter*, *scientialiter*, *seminaliter*, *salubriter*, *sensualiter*, *stabiliter*, *substantialiter*, *temporaliter*, *visibiliter*. » Quæ omnia tantum a ciceroniana lingua differunt, quantum scholasticæ similia sunt.

Quantum etiam scholastico argumentandi modo appropinquat hæc sententia : « Nobis primum videndum est, utrumnam illud aggravet, quod in quoquam, an illud in quo quidque est. Si illud in quo aliquid est, levatur ergo pondere quidque oneratur. Sin vero illud aggravat quod in aliquo, non illud in quo aliquid est... *etc*. (2) » Sic enim sæpius argumentari Scho-

(1) *Untersuchungen*, pp. 65-66. — Triginta duo adverbia numerantur a D. Engelbrecht, hic quadraginta. — Inter hæc D. Engelbrecht adnotat « *accessibiliter*, *scientialiter*, *seminaliter*, *sensualiter* », nove dicta esse a Claudiano.

(2) Lib. III, cap. III, § 2, 158, 12 ; 763 A.

lastici solent, et uti talibus verbis : « Quod in quoquam, in quo aliquid... » quod dicendi genus usum græcum pronominum redolet, et, ut verisimile est, per latinas Aristotelis translationes ad doctores medii ævi devenerat.

Ceterum hæc scholasticorum lingua, quanquam adverbiis et distinctionibus horrida, non facile contemnenda est. Apta est enim ad doctrinam exponendam et defendendam lucide et recte, et ad omnia dubia vel ambigua removenda. Ideoque, cum catholicum dogma apertius, clarius et plenius in dies exponeretur, id effecerunt doctores christiani laboribus et lucubrationibus ut ad illud melius demonstrandum sermo ipse exactior et verborum sensus magis pressus paulatim fieret. Sic lingua illa Scholasticorum scriptorum, quæ seculo tertio decimo perfecta fuit et adulta, jam a quarto et quinto seculo exoriebatur, ejusque primordia Claudianus pro sua virili parte ostendit et testatur.

Denique, ipsi Scholastici Claudianum laudare amabant et inter magistros suos numerare. Viennensis enim presbyter in aliquam partem venerat hujus gloriæ qua medio ævo fruitus est Boethius ille, qui eodem tempore natus est quo mortuus Mamertus (1). Jam in veteri sua editione referebat Barthius in Claudiani laudem hanc sententiam Nicolai, S. Bernardi notarii : « Habeo mecum plenam sanctitatis animam et quæ fronte nomine solo præemineat, quam in auctoritatis arcem tam Scholasticorum quam Ecclesiasticorum chorus evexit. Claudianus is est, qui totam

(1) Mortuus est Claudianus anno fere 474. Boethium natum ferunt inter 470 et 475.

christianam, romanam, atticam bibliothecam in viridi ævo secretissimis institutionibus ebibens, et ingenii acumine, et operis mole (1), nobis alterum reddidit Augustinum (2). » Huic addendus est Berengarius, Abælardi discipulus, qui in Apologia magistri sui Claudianum cum laude profert, virum « christianissimum, et tam subtilem ad disputandum quam artificem ad loquendum (3). »

Seculo tertio decimo, Richardus de Furnivalle, cancellarius ecclesiæ Ambianensis, qui *Biblionomiam* scripsit, sive descriptionem hujus bibliothecæ, cujus ut perfectissimæ ideam sibi effingebat, Claudiani non est oblitus : illius libros posuit inter opera « physicorum et metaphysicorum », non longe ab Aristotele, inter quosdam Patres quarti et sexti seculi, et Arabas illos quos tanto studio Scholastici evolvebant (4).

(1) Mirum omnino hoc verbum : *operis mole*. Nullo enim pacto Claudiani opera possunt « *mole* » conferri cum operibus Augustini. Quædam deperdere potuimus nec tamen aliorum librorum titulos nobis veteres transmiserunt : plures certe haberemus, si multi libri Claudiani tempore sancti Bernardi exstitissent. Libenter dicam opera Mamerti « *virtute* magna esse, *non mole* » : et fortasse Nicolaus ipse molem quamdam « *illocalem* » intellexit.

(2) *Nicolai B. Bernardi notarii Epist.* LII (ponitur LXV inter *Epist. Petri Cellensis*), — apud Migne, tom. CCII, col. 499.

(3) Berengarius in *Apologetico*, apud Migne tomo CLXXVIII, col. 1869. — Bruckerus, *loc. cit.*, memorat ut Claudiani laudatorem « Alanum de Insulis, in *Encyclopædia* ». At, loco collato, vidi Bruckerum in errorem incidisse. Alanus quidem, non in *Encyclopædia*, sed in *Anticlaudiano*, lib. II, cap. VI, versibus refert eas laudationes quas prosa oratione Sidonius Claudiano tribuerat : at eas laudes Alanus impertit non jam Claudiano, sed choro Artium, sociarum Phroneseos :

> Ut Zeuxis pingit chorus hic, ut Milo figurat,
> Ut Fabius loquitur, ut Tullius ipse perorat, *etc.*

Apud Migne tomo CCX, col. 505. — Cf. S. Sidonii, *Ep.* III lib. IV.

(4) *Biblionomia* Richardi edita est a D. L. Delisle : *Le cabinet des Manuscrits de la Bibliothèque nationale*, t. II, pp. 518 *et seq.*

Præterea, quo in pretio Claudianus medio ævo habitus sit, ipsi testantur codices quos plurimos habemus a seculo nono ad quintum decimum transcriptos.

§ II. — CLAUDIANI DISCIPLINA ET CARTESIANA QUID SIMILE INTER SE HABEANT. CARTESIUS MUTUATUSNE SIT ALIQUID A CLAUDIANO ?

Vix ac ne vix quidem fieri potest ut idem philosophus non multum a Scholasticis dissentiat, et Cartesio sit proximus : quia igitur laboravi ut ostenderem Claudianum in multis, vel etiam in plerisque si doctrinam spectemus, cum Scholasticis consentire, mihi cavebo ne jam dicam eum eadem docere quæ docuit postea Cartesius. Immo Claudianum cum Cartesio conferre mihi fortasse non venisset in mentem, nisi jam duobus abhinc seculis viri aliquot ingenio non ignobiles hanc ipsam comparationem attigissent, et suspicati essent Cartesium doctrinæ suæ aliquid a Claudiano mutuatum esse.

Ut igitur hanc quæstionem paucis absolvamus, en, ni fallor, quæ sint similia apud Viennensem sacerdotem et apud Turonensem philosophum. Inter ea principia quæ sunt velut fundamenta suæ doctrinæ, admittit Claudianus, haud secus ac Cartesius, exsistere duo quædam rerum genera valde diversa, nec diversa tantummodo, sed inter se contraria (1), spiritus nempe

(1) «... Sicut tenebras luci, sicut essentiæ nihilum, ita incorporeo corpus esse contrarium. » Lib. II, cap. II, § 3. — «... En sorte que

et corpora ; ad essentiam spirituum pertinere cogitationem, extensionem vero ad essentiam corporum, et sic unum genus ab altero distingui. Ut Claudianus animæ naturam penitus introspicit, conscientia potissimum duce et teste, qua præeunte cogitationem suam et ceteras animæ vires ordine perscrutatur, et ea tantummodo affirmat quæ interiore animi oculo vera esse cognovit : sic, immo multo magis, Cartesius inquisitionem suam philosophicam ab animo orditur, in cujus intimis sė quodam modo recondit, et conscientiæ lumine, claris et distinctis ideis, vera a falsis discriminat. Uterque philosophus animam sibi ipsi præsentem esse affirmat, et vires animæ putat minime distingui ab ejus essentia. Cartesius corpora putat non esse diversa ab ipsa extensione per locum : quædam Claudiani verba eodem sensu fortasse intelligi possunt. Uterque, quadam ingenii propinquitate, veritatis studiosus inquisitor et scrutator exstitit, et eam conatus est per altissimas causas rimari, per altissima ratiocinia exponere. Uterque, mathematicus simul et philosophus, geometriam et mathematicam philosophiæ immiscuit, quanquam Claudianus Euclidis scientiam non excedit, Cartesius vero præclarum nomen in hac parte adeptus est.

Quædam igitur res, et res alicujus momenti tum in doctrina, tum in methodo, utrique philosopho communes sunt. Restat explicanda hæc similitudo. Omnes porro norunt permultos fuisse qui, postquam Cartesius novam tradere disciplinam in philosophia tenta-

l'on reconnoît que leurs natures ne sont pas seulement diverses, mais même en quelque façon contraires. » Descartes, *Abrégé des six Méditations*, — in edit. V. Cousin, 1824, t. I, pp. 230-231.

verat, statim studuerint veteres omnes evolvere, ut ostenderent ea quæ Cartesius ut nova protulerat jamdiu dicta et exposita fuisse. Hi nihil antiquius habuerunt quam ut Claudianum e tenebris eruerent, et accusarent novæ methodi auctorem, quasi doctrinam suam ex hoc forte detorsisset. Hanc quæstionem simul moverunt Petrus-Daniel Huetius et Ludovicus Ellies du Pin (1). Episcopus Abrincensis, postquam alios auctores memoravit, quos dicit Cartesio profuisse : « Nec pauca, addit, transtulit ex Claudii Mamerti libro de Anima (2). » Animadvertit quoque Ludovicus du Pin quædam communia esse tum Claudiano tum Cartesio: ipse tamen vix putat recentiorem philosophum doctrinam suam a veteri mutuatum esse : libentius crederet utrumque ad eadem devenisse propter quamdam ingenii et methodi similitudinem (3).

Qui autem, vero nomine dictus Natalis d'Argonne, animadversiones suas de historia et litteris subscripsit

(1) Huetii *Censura philosophiæ cartesianæ* primum edita est anno 1689. — Ludovici du Pin *Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum*, ann. 1689-90.

(2) *Censura philosophiæ cartesianæ* caput VIII, § 8, p. 246, in quarta edit. (1694).

(3) « Je n'y ai rien ajoûté [aux principes de Claudien], et me suis presque toûjours servi de ses propres termes ; ce que je remarque ici, parce que sa Philosophie a tant de rapports avec les Meditations d'un celebre Philosophe moderne, que l'on pourroit croire que je l'ai plûtôt prise de celui-ci, que de Mamertus, ou du moins que j'y ai donné quelque air nouveau. Cela n'est pas ainsi : c'est la verité même qui a fait rencontrer ces deux Philosophes. Comme ils avoient tous deux l'esprit juste et Geomètre, ils ont suivi les mêmes routes, ils ont donné dans les mêmes principes, et s'étant défaits des préjugez de la nature et de l'enfance, ils ont compris ce que c'étoit que l'ame, et quelle idée on devoit avoir d'une substance spirituelle. La seule difference qu'il y a entre eux, est que Mamertus étend, prouve et discute des principes, que ce Philosophe moderne s'est contenté de proposer comme des veritez assez sensibles. » Tom. IV, p. 226.

Vigneul de Marville, Cartesium Claudiano similem esse adnotavit (1). Idem invenimus apud Jacobum Basnagium : Mamertus Viennensis, inquit « tacito Fausti nomine, sententiam ejus de animabus scripto mox edito confutavit, eadem methodo usus, cujus inventor tamen dicitur Cartesius (2). »

Denique, auctores Historiæ Litterarum in Gallia, in capite quod de Claudiano scripserunt, dicunt : re vera apud eum inveniri pleraque principia quibus Cartesius usus est ad novum suum systema adstruendum : id autem contigisse vel eo quod uterque, cum bona mente præditus esset et esset geometra et iisdem viis procederet, ad eamdem demum doctrinam devenisset : vel simplicius, eo quod Cartesius libris Claudiani peculiari cura studuisset (3).

Primum igitur adnotemus sat facile fieri potuisse ut Cartesius, Claudiano ne quidem lecto, omnia ipse invenerit sibi cum illo communia. Ea enim non ita recondita sunt et Claudiani et Cartesii propria, ut nemo præter eos hæc vel similia excogitaverit. Hæc potuit Cartesius per se ipse invenire: vel saltem, si ex

(1) « Nous avons dans le Traité de l'Ame de Claudien Mamert, qui fleurissoit au cinquiéme siécle, la plûpart des principes dont Décartes s'est servi pour soûtenir son nouveau systême de philosophie. » *Mélanges d'histoire et de literature*, t. II, p. 327.

(2) Jacobi Basnagii *Animadversiones criticæ de S. Fausto Rhegiensi*, — præpositæ operibus Fausti in Patrologia J.-P. Migne.

(3) Auctores hujus Historiæ primum referunt placita Ludovici du Pin et Natalis d'Argonne, deinde addunt : « On trouve en effet dans le traité de Claudien la plùpart des principes dont s'est servi M. des Cartes pour établir son nouveau système. Cela s'est fait ou parce que l'un et l'autre ayant l'esprit juste et Géomètre, et ayant suivi les mêmes routes, ils ont rencontré les mêmes principes, ou, pour parler plus naturellement, parce que M. des Cartes avoit fait une lecture particuliere de l'ouvrage de Claudien. » T. II, p. 450.

aliquo accepit, fortasse accepit ex sancto Augustino, cum quo sæpe comparatus est, et cujus plures libros certissime legerat : nil mirum si, cum ad eumdem fontem accederet, ad quem Claudianus, eamdem fere doctrinam inde hauserit.

At utrum Cartesius re vera Claudianum notum habuerit necne, nemo, ut opinor, jam potest decernere. Non paucos certe veteres philosophos evolverat : hunc jam pluries editum, anno etiam 1618 Patrologiæ Coloniensi insertum, invenire et perlegere potuit. Potuit etiam contigisse, — quæ quidem mera est hypothesis, — ut Cartesius, cum per Germaniam iter faceret, colloquia habuerit cum Gaspare Barthio, viro nobili et ea tempestate notissimo, et ab eo ad Claudianum legendum inductus sit. Multa dicere est quæ fieri potuerint : quid factum sit, omnino nescimus.

Verum, etiamsi fortasse legerit Cartesius tres libros *de Statu Animæ*, valde errarent qui arbitrarentur se aliquid galli philosophi famæ detrahere posse, quasi aliena scripta compilasset. Ea enim quæ habet uterque communia, et quæ supra relata sunt, non sunt multa (1). Concedamus ea Cartesium a Claudiano sumpsisse : nonne tamen fatendum est eum multo plura invenisse ; et ea ipsa quæ sumpserit inter se et cum suis ipsius placitis coaptasse ; et demum multa quæ Claudianus cursim in opere suo dixerat, clarius et altius, cum iis quæ inde consequantur, perspexisse (2).

(1) Omissis saltem iis argumentis quæ nec Claudiani sunt, nec Cartesii, sed apud omnes sunt usitata.

(2) Ad hæc omnino pertinet quod scripsit de eodem Cartesio et de sancto Augustino Blasius Paschalis : « Je voudrais demander à des personnes équitables si ce principe : *La matière est dans une incapacité naturelle invincible de penser*, et celui-ci : *Je pense, donc je suis*, sont en

Cartesius, quidquid ejus methodo et disciplinæ objici possit, methodum profecto novam, amplum doctrinæ corpus et systema invenit, a Claudiani doctrina longe diversum.

effet les mêmes dans l'esprit de Descartes et dans l'esprit de saint Augustin, qui a dit la même chose douze cents ans auparavant. En vérité, je suis bien éloigné de dire que Descartes n'en soit pas le véritable auteur, quand même il ne l'aurait appris que dans la lecture de ce grand saint; car je sais combien il y a de différence entre écrire ce mot à l'aventure, sans y faire une réflexion plus longue et plus étendue, et apercevoir dans ce mot une suite admirable de conséquences, qui prouve la distinction des natures matérielle et spirituelle, et en faire un principe ferme et soutenu d'une physique entière, comme Descartes a prétendu faire. » — *Opuscules de Pascal*, de l'Esprit géométrique, 2d fragment, in edit. Havet, 1881, t. II, pp. 304-305.

CONCLUDITUR

HÆC THESIS DE MAMERTO CLAUDIANO.

Doctrinam Claudiani, ut potui, referre et evolvere conatus sum, eamque, nisi mihi ultra modum blandior, talem exposui qualis in tribus libris *de Statu Animæ* reperitur. Mihi enim cavi ne quam propositionem ei adscriberem, quin statim verbis ipsius eum ita sensisse demonstrarem. Id tamen lector monendus est : dum hanc scriptoris Viennensis doctrinam ad præcipua quædam capita revocavi et exposui ex ordine, eam clariorem feci quam ipse Claudianus. Ipse enim quæ de variis quæstionibus opinaretur minime studuit certa quadam methodo legentibus tradere : at, ut res postulavit, retulit quæ ad propositum suum tendere viderentur ; doctrinam suam in unum corpus adunare non curavit, at disjecta ejus membra hinc et inde dispersit.

Hoc quidem maxime peccat, quod lucido ordine omnino caret. Hinc factum est ut quidam eum acerbe judicaverint, utpote qui philosophicam disciplinam

habuerit minime perfectam et completam, neque apte partibus cohærentem (1). Æquius videtur agnoscere Claudiano non defuisse hoc doctrinæ systema : attamen, ut systema ejus quale fuerit appareat, et omnes doctrinæ ejus partes in lucem veniant, opus est ut quis libros ejus attente consideret et meditetur.

Jam vero, hoc vitio minime celato, paucis recolamus quæ per totam thesim diximus, ut Claudiani vera quædam effigies appareat. Id vero maxime necessarium existimo, ut ostendam quid ei proprium maneat, quæ sit ejus genuina virtus. Cum enim longius dicerem quot scriptorum tum libros adierit, tum doctrinam aliqua ex parte sibi desumpserit, et præterea oculis subjicerem quam prope Augustinum secutus sit, potuit hoc dubium legentium mentes pertentare : quid tamen ipse habeat quod suum sit, quid per se effecerit.

Puto tamen hoc dubium tentasse forsitan, at non commovisse eorum mentes qui hanc thesim ab initio attente evolverint. Fieri enim non potest ut hi tot Claudiani paginas legerint, quæ ibi referuntur, nec per se viderint quantum differat hic noster auctor ab aliis omnibus. Id agnoverunt omnes quicumque, Mamerto pervoluto, de ipso scripserunt : hi enim una voce profitentur libros *de Statu Animæ* sapore quodam novo et proprio commendari (2).

Dicendum est igitur Mamertum multorum lectionem

(1) Inter ceteros durus est Claudiano Ritter (lib. VII, cap. II, § 1) : addere liceat eum quandoque obscurum esse, et repugnantiam nescio quam agnoscere inter aliquot partes doctrinæ Claudiani, quæ tamen sibi non videntur esse contrariæ.

(2) D. Ebert laudat in Claudiano eam quam vocat « Selbstständigkeit des Denkens ».

et imitationem cum vi quadam mentis maxime genuina conjunxisse. Non sæpe enim veterum verba laudat : at eorum cogitationes ita exprimit, ut facile videas ipsum, quæ in libris invenerat, ea ita apud se et per se recogitavisse, ut omnino sua effecerit. Quod maxime cernitur ex modo quo sententias simillimas exhibet sententiis Augustini : eas enim quasi inscius et incautus refert, non ut alienis divitiis glorietur, sed quia eæ jam suæ sunt : magistrum transcribere minime curat, at sponte mens scribentis odorem servat, quo alte est imbuta. Toto igitur cælo diversus est ab iis qui semper alius auctoritate nituntur nec quidquam dicere audent nisi testibus adhibitis : ipse plerumque suo nomine loquitur, suo marte opus suum conficit : res eo modo profert quo cogitavit, eo colore depingit quo apud se contemplatus est. Non auctorem habes, aliena nescio qua persona indutum : hominem se præbet, talem qualis erat natura : in libris *de Statu Animæ* Claudianum illum invenis qualem S. Sidonius vel alii ipsius amici noverant : habes mentem ejus mathematicis scientiis simul et philosophicis ac theologicis excultam ; habes animum verum assequendi et ceteris demonstrandi cupidum ; habes, — quæ nota fuit velut propria Claudiani, — illud ingenii acumen, quod semper auctor præ se fert, seu veram et sublimem doctrinam sectatur, seu subtilia ratiocinia pro veris habet et in obscura quædam et ingeniose nimis excogitata dilabitur.

Hinc librum confecit novitate sua commendatum. Nullum enim aliud opus nobis reliquit tum profana, tum sacra antiquitas, quod sic unice tendat ad incorporalitatem animæ demonstrandam, et eam tot rationi-

bus confirmet. Platonis nempe Phædo, vel Tusculanæ Ciceronis quæstiones, ad finem non omnino eumdem tendunt (tendunt enim directe ad monstrandam animæ immortalitatem, non incorporalitatem) : neque in illis operibus tot argumenta reperias, quot sunt apud Claudianum. Opus præterea novum in Ecclesia molitus est, scilicet theses suas probare aggressus est ratione fere sola et philosophia. Plerique enim Patres potius theologi fuerunt quam philosophi, et, quamvis philosophiam minime respuerint, ea tamen non usi sunt nisi data occasione, neque eam sibi proposuerunt ut finem præcipuum studii sui. Augustinus ipse, si excipias pauca quædam opera quæ juvenis adhuc scripsit, inter quæ brevem libellum *de Quantitate Animæ*, theologiæ fere uni operam dedit : doctrina ipsius philosophica, si quis eam noscere velit, e theologicis voluminibus in quibus inserta jacet eruenda est (1). Claudianus e contrario potius inter philosophos quam inter theologos computandus est : fidei et Scripturæ sacræ auctoritatem, utpote catholicus, non sane respuit, immo ea sæpe utitur : at argumenta pleraque e philosophia desumit : thesim suam, quam in libro secundo aliqua theologica probatione confirmat, alibi et potissimum in libro primo satis superque probat sola rationis via. Ubique demum virum illum agnoscimus qui, Sidonio teste, « indesinenter salva religione philosophabatur, » qui sola tunica a philosophis sui temporis differebat (2).

Ceterum finem quem sibi proposuerat Mamertus

(1) Id recte animadvertit D. Ferraz in sua thesi : *De la Psychologie de saint Augustin.*

(2) S. Sidon., lib. IV, *Ep.* XI.

satis recte attigit ; animam a corpore prorsus diversam esse demonstravit ratiociniis quandoque, ut fateor, subtilioribus, quandoque non satis firmis, plerumque tamen validis et bene ad rem pertinentibus ; libellos confecit in quibus doctrinam philosophicam suam et antiquitatis notitiam et omnimodam eruditionem exhibet ; opus non satis perfecto ordine, at nec sine vi nec sine arte composuit ; stilo quandoque vetusto, quandoque barbaro, bono tamen si ætatem spectemus, et ornato et sæpe poetico usus est. Dignus est igitur qui, si non inter philosophiæ principes, at inter bonos tertii vel quarti ordinis scriptores adnumeretur, et inter clarissimos viros qui, seculo quinto, in Gallia nostra floruerunt. Sic, ut puto, judicandus est liber Claudiani, si tantummodo ad philosophiam et ad litteras spectemus. At præterea, sæpe in hac thesi ostendimus quantas ex eo percipere possimus utilitates ad melius cognoscendum quæ fuerit illo quinto seculo apud nostrates doctrinæ et litterarum ratio. Eos igitur qui variis temporibus et hisce annis operam dederunt vel Claudiani libris edendis, vel ejus doctrinæ explanandæ, non pæniteat in eo illustrando operam et tempus consumpsisse.

APPENDICES

APPENDIX I.

DE POEMATIS MAMERTO CLAUDIANO ATTRIBUTIS (1).

Inter poemata quæ post libros *de Statu Animæ* edi solent, nonnulla, eaque præcipua, non Claudiano sed aliis scriptoribus attribuenda esse videntur. Sic longum *Carmen contra poetas vanos* sancto Paulino Nolano, *Carmen paschale* sancto Damaso papæ, *Laudem Christi* Flavio Merobaudi, viri eruditi adscribunt (2).

Illis igitur carminibus sepositis, restant tum pauca disticha *de Miraculis Christi* et *in Jacobum, magistrum equitum,* tum hexametri græci duodecim εἰς τὸν Σωτῆρα, tres εἰς τὸν Δεσπότην Χριστόν : quæ brevissima poemata referendane sint ad Claudianum an ad alios, longius anquirere non operæ pretium esse duxi.

(1) Poemata illa, quæ D. Engelbrecht non edidit, leguntur apud Migne, tomo LIII, col. 785-790.

(2) Cf. *Præfationem* D. Engelbrecht, p. XLVIII.

Unus denique hymnus superest :

Pange, lingua, gloriosi lauream certaminis,

opus majoris momenti, utpote quod Ecclesia catholica Passionis tempore etiam nunc decantare soleat. Ille autem hymnus ab aliis Claudiano, ab aliis Fortunato attribuitur. Multa de hac quæstione scripserunt in ephemeride quadam Insulana R. P. D. Chamard, O. S. B., et D. Pimont, sacerdos, hic Claudiani fautor, ille Fortunati (1). Tantam controversiam instaurare non fert animus. Paucis tantummodo dicam quid, ex argumentis in utramque partem allatis, rectius concludi posse videatur.

Eorum qui volunt hymnum *de Passione* adscribi Claudiano rationes vi destitutæ non sunt; iis tamen omnibus ab adversariis responderi potest (2). Ex altera vero parte firmissima argumenta reperimus : carmen scilicet illud Fortunato attribuunt tum veteres scriptores, tum, quod pluris etiam faciendum est, codices omnes manuscripti. Etenim, hymnus *Pange, lingua* in nullo codice apponitur post libros *de Statu Animæ*; ubique autem suo loco scriptus invenitur inter poemata Fortunati (3). Quapropter

(1) *Lettres chrétiennes*, Lille, 1882.

(2) Ut breviter dicam, laudes quas impertit Sidonius hymno cuidam a Claudiano scripto, (lib. IV, *Ep.* III, apud Claud. D. Engelbrecht, 201, 32 ; apud Migne, t. LIII, 782 D,) mire quidem congruunt hymno *Pange, lingua* : fortasse tamen melius etiam conveniebant alii nescio cui carmini nunc deperdito. Scholiastes cujus Sirmondus (*ad hunc loc. Sidonii*) testimonium profert, errare potuit. Idem suspicari possumus de scholiasta codicis D (Cf. edit. D. Engelbrecht, pp. II et XLVIII) qui fortasse idem est ac scholiastes Sirmondi. — Hæc quoque verba : « Scripsit Claudianus... hymnum de passione Domini, cujus initium est *Pange, lingua, gloriosi...* » quæ legit idem Sirmondus apud Gennadium, cap. LXXXIII in codice Montis Sancti Michaelis, cum desint in omnibus fere codicibus, a scholiasta quodam potius quam ab ipso Gennadio scripta esse videntur. — Argumenta denique e stilo sumpta vel e versuum ratione non ea sunt quæ nos ad assentiendum cogant.

(3) Illud omnes testantur qui quæstioni huic studuerunt, et ego ipse per me vidi, collatis codicibus Parisiensibus Fortunati et Claudiani. Editores præterea hymnum illum inserunt operibus Fortunati. (Cf.

hymnum Fortunato adscribendum esse, non certum quidem, at probabilius existimo.

Monumenta Germaniæ historica. Auctorum antiquissimorum tomi IV pars prior : *Venantii Honorii Clementiani Fortunati opera poetica recensuit et emendavit Fredericus Leo* ; — Berolini, apud Weidmannos, 1881. — Non satis tamen quæstio de operibus dubiis tractatur, *Proœm.*, p. xxiv.) — Addere liceat virum doctum R. P. G. M. Dreves, S. J., auctorem *Analectorum hymnicorum,* litteris ad me scriptis significasse probabilius sibi videri hymnum *Pange, lingua* inter opera Fortunati relinquendum esse.

APPENDIX II.

DE LIBRIS CLAUDIANI MANUSCRIPTIS ET EDITIS (1).

A. — CODICES MANUSCRIPTI.

A. — Codex Parisinus n. 16340, sec. IX.
B. — Codex Parisinus n. 2779, sec. X.
C. — Codex Parisinus n. 2164, sec. XI.
D. — Codex Montepessulanus H n. 145, sec. XII.
E. — Codex Parisinus n. 2165, sec. XIII.
F. — Codex Parisinus n. 18080, sec. XII.
G. — Codex Vindobonensis n. 1030, sec. XI ineuntis.
H. — Codex Einsidlensis n. 318, sec. X.
L — Codex Sangallensis n. 846, sec. X.
M. — Codex Lipsiensis-Paulinus n. 286, sec. XI exeuntis (2).

(1) Nihil aliud conficere volui, nisi indicem tum codicum manuscriptorum, tum editionum Claudiani, apposita unicuique libro ea littera qua illum D. Engelbrecht designat. Si quis quærat ampliorem descriptionem horum librorum, et scire velit quomodo textus Claudiani emendatus sit et constitutus, legat ipsius D. Engelbrecht *Præfationem*, in edit. Claudiani, pp. I-XLIX. Attamen catalogum editionum accuratius factum hic invenies quam apud D. Engelbrecht.

(2) Hunc codicem, quo uno usus est primus editor Petrus Mosellanus, D. Engelbrecht præ ceteris secutus est. Immo, in *Præfatione* sua, quam scripsit facta jam editione, fatetur se codici Lipsiensi justo majorem concessisse auctoritatem. Cf. hanc *Præfationem*, pp. XV *et seq.*

[*P.* — Codex Schotti Plantinianus (1).]
R. — Codex Vaticanus-Reginensis n. 201, sec. x.
S. — Codex Palatinus n. 240, sec. xi.
[*T.* — Codex Schotti Tornacensis (Martinianus) (2).]
rell (3). — Codex Angelomontanus I $\frac{4}{20}$, sec. xii exeuntis; — codex Trecensis n. 256, sec. xii; — codex Monacensis n. 16064, sec. xiii-xiv; — codex Meermanianus 507, sec. xiii ineuntis; — codex Parisinus n. 1750 (continet solum tertium librum Claudiani, sec. xii exaratum); — codex Ashburnhamensis Libri n. 75 (continet solam Fausti Epistolam); — etc.

B. — EDITIONES.

b. — Divi Claudiani Mamerti Vienensis Galliarum episcopi de Statu Animæ libri III Petro Mosellano recognitore. Basileæ. Anno M.D.XX. — [*In ultimo libri folio,* r°] : Basileæ. Apud Adam Petri mense Februario An. M.D.XX. [*In eodem folio,* v°] : Excudebatur Basileæ ductu Ludovici Hornken et Godofredi Hitorpii. — 1 vol. in-4° formæ minoris (4).

(1) Usus est P. Andreas Schottus hujus codicis collatione, quam Joannes Wowerius confecerat. (Cf. Epistolam Schotti *Viro clarissimo Joanni Wovwerio,* Patrol. Lugdun. 1677, t. VI, p. 1040.) Utrum forte hic liber ex ædibus Plantini Montem Pessulanum delatus sit, et ipse sit codex D Montepessulanus, an sit perditus, D. Engelbrecht non vult decernere, *Præf.*, p. viii. — Duos codices Schotti P et T, quibus novissimus editor non usus est, uncis inclusi.

(2) Ubi nunc asservetur hic codex, quo Schottus usus est, ignoratur. Simillimus erat codici R.

(3) Sic designat D. Engelbrecht reliquos codices manuscriptos, quorum collationem a se factam adnotationi criticæ non putavit esse inserendam. Ceterum ipse profitetur alios exstare, præter eos quorum indicem confecit. Idcirco in fine hujus catalogi addidi : *etc.*

(4) Hæc est prima editio Claudiani. Lectorem igitur monere debeo

Orthodoxographa. Theologiæ sacrosanctæ ac syncerioris fidei Doctores numero LXXVI. Basileæ per Henricum Petri. M.D.LV. — Editor operis fuit Heroldus. — 1 vol. in-f°. — [Libri Claudiani, pp. 848-898 (1).]

Monumenta S. Patrum orthodoxographa. Hoc est theologiæ sacrosanctæ ac sincerioris fidei Doctores numero circiter LXXXV. — Basileæ, ex officina Henrici Petrina. Anno salutis M.D.LXIX. — 2 vol. in-f°. — [Hæc dicuntur *Orthodoxographa Grynæi*. Libri Claudiani editi sunt tomo II, pp. 1247-1302.]

p. — Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum latine. Per Margarinum de la Bigne, ex alma Sorbonæ schola theologum. — Parisiis, M.D.LXXVI. — [Opera Claudiani, t. V, p. 661.]

*p*². — *Idem opus*, editum denuo anno M.D.LXXXIX. — [Opera Claudiani, t. IV, p. 599 (2).]

Sch. — Bibliotheca magna Patrum... Coloniæ Agrippinæ, typis Bernardi Gualteri. — M.DC.XVIII. — In-f°. — [*Tomo V*, p. 944]: Claudiani Mamerci de Statu Animæ lib. III et adversus vanos Poetas recensiti et notis illustrati. — [*Editio Andreæ Schotti, e Societate Jesu*.]

Barth. — Sancti Patris nostri Claudiani Ecdicii Mamerti de Statu Animæ libri III. Caspar Barthius exemplar vulgatum edidit, varias msstorum oræ appinxit, examina-

ne quis pro bonis et rectis habeat indices editionum Claudiani qui habentur tum apud D. Remigium Ceillier, tum in *Historia litteraria Galliæ* Benedictinorum, tum in thesi D. A.-C. Germain. Ibi enim commiscentur editiones Claudii Claudiani poetæ et Mamerti Claudiani. Hunc errorem, quem jam animadverterat J.-C. Brunet (*Manuel du libraire*), ego quoque vidi corrigendum esse cum editiones Mamerti anquirerem. Denique, legerit qui voluerit Fabricium (*Bibliotheca latina... aucta cura Jo.-Aug. Ernesti*, Lipsiæ, 1773-1774), tomo III, p. 199, de Claudiano poeta, et ibi inveniet ex ordine positas omnes editiones quas prædicti auctores Mamerti Claudiani esse scripserunt.

(1) Hæc editio nulla littera signatur, quia eam D. Engelbrecht non commemorat. Idem intelligas de editionibus quibus nullam litteram præpositam invenies.

(2) Hæc *Patrum Bibliotheca* Margarini de la Bigne pluries edita est seculo XVII°.

vit, animadversionum libro correxit, illustravit, glossarium adjecit. Additæ Andreæ Schotti notæ et emendationum rationes ex scriptis codicibus. Cygneæ [*Zwickau*] M.DC.LV. — 1 vol. in-8°.

Maxima Bibliotheca veterum Patrum, et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, primo quidem a Margarino de la Bigne... in lucem edita, deinde celeberrimorum in Universitate Coloniensi doctorum studio, plurimis Authoribus et Opusculis aucta... hac tandem editione Lugdunensi ad eamdem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus et Opusculis hactenus desideratis locupletata et in tomos XXVII distributa... — Lugduni, apud Anissonios. M.DC.LXXVII. — In-f° — [*Tomo VI*, p. 1040] : Claudiani Mamerci, presbyteri Viennensis libri tres. De Statu Animæ et adversus vanos Poetas. And. Schottus Antuerp. Societ. Jesu recensuit.

Galland. — Gallandii Bibliotheca græco-latina veterum Patrum antiquorumque scriptorum ecclesiasticorum. Venetiis, 1765-1781. — 14 vol. in-f°. — [Tomo X leguntur opera Claudiani, ex recensione Schotti, collatis aliis editionibus, et ipsius Gallandii *Prolegomena* de Claudiano.]

Patrologiæ cursus completus... series prima in qua prodeunt Patres, doctores, scriptoresque Ecclesiæ latinæ... accurante J.-P. Migne. — Parisiis, 1844-1855. — 217 vol. in-4°. — [Tomo LIII, J.-P. Migne Gallandii editionem denuo impressit.]

Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis Academiæ litterarum Cæsareæ Vindobonensis. — Volumen XI. Claudiani Mamerti opera ex recensione Augusti Engelbrecht. — Vindobonæ, apud C. Geroldi filium bibliopolam Academiæ. — MDCCCLXXXV. — 1 vol. in-8°.

APPENDIX III.

INDEX LIBRORUM QUI IN HAC THESI LAUDANTUR ET ALIORUM QUI DE MAMERTO CLAUDIANO CONSULI POSSUNT.

Adonis Viennensis Archiepiscopi chronicon. — Apud Migne, t. CXXIII, col. 104.

Allmer et de Terrebasse. — Inscriptions antiques et du moyen âge de Vienne en Dauphiné. — Vienne et Paris, 1845. — In-8°. — Cf. t. II, pp. 32 *et seq.*

Augustinus (Sanctus) et alii Patres laudantur ex *Patrologia* J.-P. Migne.

Baehr (Johannes-Christ.-Felix). — Die christlichen Dichter und Geschichtschreiber Roms... — Carlsruhe, 1836. — 1 vol. in-8°. — Cf. I, § 33, pp. 66 *et seq.*

—— Die christlich-römische Theologie... — Carlsruhe, 1837. — 1 vol. in-8°. — Cf. § 169.

Baluzius (Stephanus). — Miscellanea, hoc est collectio veterum monumentorum quæ hactenus latuerant in variis codicibus ac bibliothecis. — Lutetiæ Parisiorum, per Bibliopolarum societatem. — M.DC.LXXVIII *et seq.* — 7 vol. in-8°. — Cf. t. VI, Præf. et p. 535.

Baronius. — Cæsaris S. R. E. Card. Baronii, Od. Raynaldi et Jac. Laderchii, congregationis Oratorii presbyterorum Annales ecclesiastici denuo excusi... ab Augustino Theiner, ejusdem congregationis presbytero... — Barri-Ducis, typis et sumptibus Ludovici Guérin. —

M.DCCC.LXIV-M.DCCC.LXXIX. — 34 vol. in-4°. — *Tomo VIII, ad ann.* 490, §§ 37-42. — Cf. *Appendicem.*

BARTHIUS (Gaspar). — *Vide supra editionem Claudiani.*

—— Adversariorum Commentariorum libri LX. — Francofurti, M.DC.XXIV. — In-f°. — Cf. lib. XIX, cap. II; lib. L, cap. III; lib. LII, cap. VIII (1).

BASNAGIUS (Jacobus). — *Vide* CANISIUM. — Cf. Patrol. lat. Migne, t. LVIII, col. 777 *et seq.*

BERENGARIUS (Petrus). — Berengarii scholastici Apologeticus contra beatum Bernardum Clarævallensem abbatem et alios qui condemnaverunt Petrum Abælardum. — In Patrologia Migne, t. CLXXVIII. — Cf. col. 1869.

BOLLANDUS et socii. — Acta sanctorum, etc. cura Johannis Bollandi ac sociorum ejus S. J. — Antuerpiæ, M.DC.XLIII *et seq.* — In-f°. — Cf. diem 16am Januarii de Fausto Reiensi; 11am Maii de S. Mamerto; 21am Augusti de S. Sidonio.

BOSCO (Joannes a, ex ord. Cælestinorum). — Viennæ Allobrogum sacræ et profanæ Antiquitates, *in opere Joannis a Bosco, cui titulus est :* Floriacensis vetus Bibliotheca, 2a *parte, p. 5 et seq.* — Lugduni, M.DC.V. — 1 vol. in-8°.

BOUEDRON (D. Petrus). — Quid senserit de natura animæ Tertullianus. — Nannetibus, 1861. — In-8°.

BRUCKERUS (Joannes-Jacobus). — Historia critica philosophiæ a mundi incunabulis ad nostram usque ætatem deducta. — Lipsiæ, impensis hæred. Weidemanni et Reichii. — M.DCC.LXVI. — 6 vol. in-4°. — Cf. t. III, pp. 523-524.

CANISIUS (Henricus). — Thesaurus monumentorum ecclesiasticorum et historicorum, sive Henrici Canisii lectiones antiquæ... quibus Præfationes historicas, etc., adjecit Jacobus Basnage. — Antuerpiæ, apud Rudolphum

(1) Barthius ipse, in sua Claudiani editione, laudat *Commentariorum* suorum lib. LXXXIV, cap. IV : at de opere manuscripto loquitur. Siquidem e CLXXX libris *Commentariorum* quos composuerat LX tantummodo editi sunt.

et Gerhardum Wetstenios, M.DCC.XXV. — VII partibus, IV voluminibus. — In-f°. — Cf. t. I, pp. 345 *et seq.*; p. 361.

Cave. — Guilielmi Cave scriptorum ecclesiasticorum historia literaria... — Coloniæ Allobrogum, M.DCC.V. — In-f°. — Cf. p. 221 ; pp. 290 *et seq.*

Ceillier (Dom. Remigius). — Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques.... Nouvelle édition. — Paris, Vivès, 1858-1869. — 17 vol. in-8° formæ majoris. — Cf. t. X, ch. xviii, pp. 346 *et seq.*

Chaix (D., sacerdos). — Saint Sidoine Apollinaire et son siècle. — Clermont-Ferrand, Thibaud, 1867-1868. — 2 vol. in-8°.

Chamard (R. P. D., O. S. B.). — *De hymno* Pange lingua, *scripsit in ephemeride Insulana* Lettres chrétiennes, 1882. — Paris, Gaume. — In-8°.

Charaux (D. Aug.). — Saint Avite, évêque de Vienne. Sa vie, ses œuvres. — Besançon, 1876. — 1 vol. in-8°.

Charvet. — Histoire de la sainte Église de Vienne, par C. Charvet, archidiacre. — Lyon, Cizeron, 1761. — 1 vol. in-4°. — Cf. opus *passim*, et *Supplém.*, pp. 18 *et seq.*

Chorier (Nicolaus). — Les Recherches du sieur Chorier sur les Antiquitez de la Ville de Vienne, Metropole des Allobroges, Capitale de l'Empire Romain dans les Gaules, des deux Royaumes de Bourgogne, & presentement du Dauphiné... — A Lyon. Et se vendent à Vienne. Chez Claude Baudrand, soûs les Halles. 1658. — 1 vol. in-12.

Colonia (P. Dominicus de, S. J.). — Histoire littéraire de la ville de Lyon, avec la Bibliothèque des auteurs lyonnais sacrez et profanes, distribuez par siècles. A Lyon, chez François Rigollet, 1728-1730. — 2 vol. in-4°. — Cf. t. I, 2e p., pp. 144 *et seq.;* et *passim.*

Drouet de Maupertuis. — Histoire de la sainte Église de Vienne, contenant la vie et les actions remarquables de cent six archevêques qui en ont tenu le siège, depuis l'an 62 de J.-C., qu'elle fut fondée par S. Crescent, jus-

qu'en 1708... par Drouet de Maupertuis. — Lyon, Certe, 1708. — 1 vol. in-4°.

EBERT. — Geschichte der christlich-lateinischen Literatur. — Leipzig, 1874. — Cf. pp. 450 *et seq.*

—— Histoire générale de la Littérature au moyen âge en Occident... traduite de l'allemand par le docteur J. Aymeric... et le docteur J. Condamin. — Paris, Leroux, 1883. — Cf. t. I, cap. XX, *et paulo infra quæ disserit auctor de Cassiodoro.*

ENGELBRECHT (D. Augustus). — *Vide supra edit. Claudiani.*

—— Untersuchungen über die Sprache des Claudianus Mamertus, von Doctor Augustus Engelbrecht. — Wien, Gerold's Sohn, 1885. — 1 vol. in-8°.

FABRICIUS. — Bibliotheca latina medii ævi. — Hamburgi, 1734-1740. — 6 vol. in-8°. — Cf. t. I, 1074-1081 (1).

FERRAZ (D.). — De la Psychologie de saint Augustin. — Paris, Durand, 1862. — 1 vol. in-8°.

FRANCK (Ad.). — Dictionnaire des sciences philosophiques. — Cf. pp. 1029 *et seq.* (edit. 1875).

GENNADII Massiliensis liber de Scriptoribus ecclesiasticis. — Apud Migne, t. LVIII. — Cf. cap. LXXXIII *et passim.*

GERMAIN (A.-C.). — De Mamerti Claudiani scriptis et philosophia. — Monspelii, ex typis Boehm, 1840. — 1 vol. in-8°.

—— Apollinaris Sidonius. — Montpellier, Boehm, 1840. — 1 vol. in-8°.

GOUILLOUD (P. Andreas, S. J.). — Saint Eucher. Lérins et l'Église de Lyon au cinquième siècle. — Lyon, Briday, 1881. — 1 vol. in-8°.

GUIZOT (Franciscus). — Histoire de la civilisation en

(1) Hic scribit Fabricius de Mamerto Claudiano. De editionibus Claudii Claudiani quas distinguere oportet ab editionibus Mamerti, dixi supra conferendum esse aliud opus Fabricii : *Bibliotheca latina, nunc melius delecta, rectius digesta et aucta cura Jo. Aug. Ernesti ;* — Lipsiæ, 1773-1774.

France. — Paris, Pichon et Didier, 1829 *et seq.* — In-8°. — Cf. VI[e] leçon.

HISTOIRE LITÉRAIRE de la France, par les religieux bénédictins de la congrégation de Saint-Maur, nouvelle édition publiée sous la direction de M. Paulin Paris. — Paris, V. Palmé, 1866 *et seq.* — Cf. t. II, pp. 1 *et seq.*; 442 *et seq.;* 480 *et seq.;* 498 *et seq.;* 550 *et seq.*; 585 *et seq.*

HONORIUS Augustodunensis. — De luminaribus Ecclesiæ sive de Scriptoribus ecclesiasticis liber II ex Gennadio sublectus. — Apud Migne, t. CLXXII, col. 220.

HUET (Petrus-Daniel). — Petri Danielis Huetii, episcopi Abrincensis, Censura philosophiæ cartesianæ, edit. 4a, aucta et emendata. — Parisiis, J. Anisson, 1694. — 1 vol. in-12. — Cf. p. 246.

KAUFMANN (Georgius). — Rhetorenschulen und Klosterschulen oder heidnische und christliche Cultur in Gallien während des 5. und 6. Jahrhunderts. — *In* Raumer's historischem Taschenbuch, Leipzig, F.-A. Brockhaus, in-8°, (4. Folge, 10. Jahrgang, 1869).

LABBEUS. — Philippi Labbei Biturici S. J. de Scriptoribus ecclesiasticis quos attigit Cardinalis Bellarminus philologica et historica dissertatio. — Parisiis, apud Sebastianum Cramoisy, 1660. — 2 vol. in-8°. — Cf. t. I, p. 225; t. II, p. 322.

LE LIÈVRE. — Histoire de l'antiquité et saincteté de la cité de Vienne en la Gaule Celtique, par messire Iean Le Lièvre, Bachelier en Theologie, Chanoine, Sacristain, et Abbé de S. Ferréol en la grande Église dudit Vienne. — A Vienne, par Iean Poyet, 1623. — 1 vol. in-8°.

LIRON (D. Joan., O. S. B.). — Singularités historiques et littéraires... — Paris, Didot, 1738-1740. — 4 vol. in-12°. — Cf. t. III, pp. 249-250.

MERMET. — Histoire de la ville de Vienne durant l'époque gauloise et la domination romaine, par Mermet aîné. — Paris, Didot, 1828. — In-8°.

—— Histoire de la ville de Vienne, de l'an 438 à l'an 1039. — Imprimerie de Louis Perrin, 1833. — In-8°.

MIRÆUS. — Auberti Miræi Auctuarium de Scriptoribus ecclesiasticis. — Hamburgi, M.DCC.XVIII. — In-f°.

MUELLER (Lucianus). — Cf. *Jahrbücher für Philologie*, Bd. XCIII, p. 391.

NICOLAUS (Beati Bernardi notarius). — Nicolai Claræ-vallensis Epistola LII. — *Apud Migne, hæc Nicolai epistola ponitur LXV inter Epistolas Petri Cellensis, ad quem scripta est,* — t. CCII, col. 498.

PIMONT (D., sacerd.). — *De hymno* Pange lingua *scripsit in ephemeride Insulana* Lettres chrétiennes, 1882.

PIN (Ludovicus Ellies du). — Nouvelle Bibliothèque des Auteurs Ecclésiastiques... par M[re] L. Ellies du Pin... Derniere Edition revûë & corrigée. — A Mons, aux dépens des Huguetan, M.DC.LXXXXI. — In-4°. — Cf. t. IV, pp. 224 *et seq.* ; pp. 242 *et seq.*

RICHARDUS de Furnivalle. — *Cf. opus D. L. Delisle :* Le Cabinet des manuscrits de la Bibliothèque nationale. — Imprimerie nationale, 1874. — In-4°. — T. II, p. 528.

RITTER (Henricus). — Geschichte der christlichen Philosophie. — 1841. — Cf. t. II, pp. 567-580.

— — Histoire de la philosophie chrétienne, traduite de l'allemand par J. Trullard. — Paris, Ladrange, 1843-1844. — 2 vol. in-8°. — Cf. imprimis lib. VII, cap. II ; t. II, pp. 513 *et seq.*

SAVARO. — *Vide* SIDONIUM.

SCHULZE (D. M.). — Die Schrift des Claudianus Mamertus Presbyters zu Vienne über das Wesen der Seele. Inaugural-Dissertation zur Erlangung des Doctorgrades der philosophischen Facultät der Universität Lepzig, vorgelegt von Martin Schulze, Cand. Theol. — Dresden, Rammingsche Buchdruckerei.

SIDONIUS (Sanctus). — Sidonii Apollinaris opera Jo. Savaro recognovit, et librum commentariorum adjecit. — Parisiis, Andr. Perier, M.D.XCIX. — 1 vol. in-4°.

—— Apud Migne, t. LVIII.

—— Œuvres de saint Sidoine Apollinaire, publiées pour la première fois dans l'ordre chronologique, d'après

les manuscrits de la Bibliothèque Nationale... par M. Eugène Baret, inspecteur général de l'Instruction publique. — E. Thorin, 1879. — 1 vol. in-8° (1).

Terrebasse (A. de). — Notice sur le tombeau de saint Mamert. — Vienne, 1861. — 24 pp. in-8°. — Cf. *Bibliothèque de l'École des Chartes*, E, II, pp. 465 *et seq.*

—— Cf. Allmer.

Teuffel (W. S.). — Geschichte der römischen Literatur. Vierte Auflage. — Leipzig, Teubner, 1882. — In-8°. — Cf. § 468, pp. 1109 *et seq.*

Thomas (Sanctus, Aquinas). — Opera omnia. — Parmæ, typis Petri Fiaccadori, M.DCCC.LII-M.DCCC.LXIX. — 24 vol. in-4°.

Thomassinus. — Dogmatum theologicorum tomi tres. Authore Ludovico Thomassino, Presbytero congregationis Oratorii D. Jesu. — Parisiis, excudebat Franciscus Muguet... M.DC.LXXXIV-M.DC.LXXXIX. — 3 vol. in-f°. — Cf. t. I, lib. I, cap. xiii, § v, p. 25; cap. xxiv, § iii, pp. 45-46; cap. xxvi, § viii, p. 53; lib. II, cap. iii, § xiii, p. 63; cap. v, § xi, p. 69; lib. III, cap. xii, § iv, p. 140; lib. IV, cap. iii, § vi, pp. 201-202; — t. III, tract. I, cap. xxxvi, §§ iv et v, pp. 143-144; tract. II, cap. xviii, § xii, p. 264.

Tillemont (Le Nain de). — Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésiastique des six premiers siècles. — Paris, Charles Robustel, 1693-1712. — In-4°. — Cf. t. XVI, (1712,) pp. 119-126, 193, 197, 213, 244-245, 253, 279, 420.

Trithemius. — Liber de Scriptoribus ecclesiasticis disertissimi viri Reverendique in Christo Patris, Domini Johannis de Trittenhem, abbatis Spanhemensis. — Basileæ, M.CD.XCIV. — In-f°. — Cf. f° 31.

Vigneul-Marville. — Mélanges d'histoire et de littérature, par Vigneul de Marville. — Rouen, 1699-1701. — 3 vol. in-12. — Cf. t. II, p. 327 (in edit. 1713, p. 352).

(1) Digna est etiam quæ commemoretur editio Sidonii curata a D. Lütjohann, in *Monumentis Germaniæ*, t. VIII (1887). — Præter epistolas Sidonii in hac thesi laudatas, cf. lib. V, *Ep.* 11.

FINIS

INDEX NOMINUM

INDEX

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
Kal. Aug. ann. MDCCCLXXXVII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR

GRÉARD.

EMILE COLIN — IMPRIMERIE DE LAGNY

ERRATA

Ubi legitur :	*Lege:*
P. 5, not. 2, historichem,	historischem.
Ibid., not. 2 *ad finem :* Studium der Kassiker, und Kirchenväter.	Studium der Klassiker und Kirchenväter (Comma reponendum est post verbum *Kloster* in linea superiore.)
P. 69, lin. 4, probandam	probandum.
P. 96, lin. 7, ab anima	*deleatur* ab.
8, a corpore	*deleatur* a.
13, a corpore	*id.*